

Primo quia ad te uado uenia. **Just** **Her** uia  
**Ho** **Do** **me** **in** **u** **er** **ite**. **Do** **mi** **est** **ter** **re** **Ex** **al** **ta** **ho**  
**Her** **u** **ia** **te** **do** **me**. **Ex** **al** **ta** **re** **do** **me** **in** **u** **er** **ite**. **Re** **sp** **o**.

Et passione suam qd dies quadraginta apparet

Handwritten musical notation (neumes) on red lines, including a large initial 'H' and various rhythmic markings.



Σὺν Θεῷ ἡγὼ γῶ.

PISCIS EXESTO!

*hoc est:*

QVÆSTIO  
A N

SILENTIUM

PYTHAGORICVM SCHOLASTICA DECLAMATIONUM AC  
DISPUTATIONUM EXERCITIA JUNIORIBUS  
INTERDICAT?

*IN GYMNASIO MULHUSINO*

Cum Foundationis & Initiationis SCHOLÆ illius  
memoria, anniversariâ festiuitate,  
celebraretur,

*DISSERTATIONIBUS ALIQVOT  
DISCUSSA ET EXCUSSA,*

*DIRECTORE ET PRÆSIDE*

M. GEORG. ANDREA FABRICIO  
POETA L. CÆS. GYMNASIARCHA.

*ANNO CHRISTIANO*

*CLC LCC XXIIIX.*

MULHUSII,

*Typis excusum per JOHAN. STANGIUM.*



*Quod faustum fiet & felix in nomine J E S U!*

**DIEM XXVII MAII:**

Noæ illius ex Arca egressu nobilem,

**SCHOLÆ MVLHVSI-  
NÆ NATALEM QVINQVAGE-  
SIMUM,**

**MORE ET INSTITUTO VETERUM,**

**ANNIVERSARIÀ FESTIVITATE**

**ITERUM TRANSIGEMUS,**

**SEQUENTIA ACTURI:**

Ante omnia, Musica figurali, implorato Sp. S. auxilio;  
& prælectis à puero VI. VII. II X. & I X. Capi-  
tibus Geneseos;

**M. GEORGIUS-ANDREAS FABRICIUS,**  
**POETA L. CÆS. RECTOR ET GYMNA-  
SIARCHA.**

*E Cathedrâ superiori de præfenti festivitate paucula præfabi-  
tur, & subsequens exercitium brevissimis huc ac-  
commodabit.*

**POSTEA TRES EX ALUMNIS GYMNASI**  
**è Cathedrâ inferiori singuli differant**

**DE QVÆSTIONE:**

**An Silentium Pythagoricum quinquennale ita sit imi-  
tandum discipulis, ut propterea ab exercitijs  
declamationum ac disputationum ipsis pror-  
sùs sit abstinendum?**

I. Andreas



I. Andreas Schultzius Gunderslebiensis Cheruscus, adductis aliquot rationibus, evincere conabitur, silentium illud Pythagoricum omnibus strictissime observandum: ac proinde exercitia Declamationum ac Disputationum juvenibus prorsus intermittenda esse.

II. Johannes Schneider Christligerodensis Saxo, silentium Pythagoricum, ex ipsius etiam Pythagora sententiâ, exercitia Scholastica minimè tollere, argumentis quibusdam, contrarijs Antecessoris sui ordine refutatis, probabit.

III. Joachimus Blæsingius Wehndensis Saxo, adhibitâ commodâ distinctione, & ex eâdem factâ decisione, statuet & concludet, silentium Pythagoricum imitandum quidem, sed tamen sic imitandum esse, ne scholastica exercitia ullâ ratione impediuntur.

Quibus ita peractis,

GYMNASIARCHA Heroico Carmine brevissimo debitum huic festivitati colophonem imponet, veterum Schola-Instauratorum & Benefactorum gratam memoriam recolet;

PRECES DEO IMMOLABIT.

Denique iterum addetur,

Quod mentem & melicas mulceat auriculas.

AD QVAM PANEGYRIN,

Dicto die, post horam VII. mat. in Auditorio novo instituentam, Lib. Imperialis hujus Reipubl. omnes & singulos Litteratos

Officiosè & amanter invitat & vocat

M. GEORGIUS-ANDREAS FABRICIUS

Poët. L. Cæs. Gymnasiarcha.

P. P. Solemnib. Ascensionis ∞ Idc xxliix.



Εἰς Θεῶν καὶ ἡμῶν

# ANTELOQVIVM

M. GEORG. ANDREÆ FABRICI POETÆ  
L. CÆS. GYMNASIARCHÆ.

**D**E consuetudine, annis jam multis in hac Scholâ servatâ, non est, cur ego hic apud VOS, VIRI OMNIUM ORDINUM SPECTATISSIMI, verba de novo multa faciam. Ante annum feci. Et feci, ut scitis, schemate quodam Poëtico. Imò ante me plures fecerunt. Ideoq; actum nunc quidem non agam: Sed tamen sic agam, ne quid consuetudini illi, intempestivo silentio derogetur. Sic igitur se res habet. **MAGNIFICUS ET AMPLISSIMUS** liberæ hujus & Imperialis civitatis laudatissima Senatus, anno, supra sesquimillesimum, septuagesimo octavo, cum de edificio Scholastico novo excitando, prudenter & maturè constituisset, hoc in loco, primum lapidem, novæ constructionis fundamentum posuit: idq; hodierno die, qui est sextus ante Kalendas Junias, hoc est vicesimus septimus Maji: die, inquam, illo, quo ab horrendâ totius mundi, per diluvium factâ internecione, primus ille alterius mûdi instaurator Noah, ex arcâ, quâ cum filijs & filiorum uxoribus & brutis ipse per annum integrum delituerat, divino mandato egressus, DEO liberatori & severissimo scelerum vindici sacrificia obtulit, & à DEO vicissim signum clementiæ arcum cœlestem, ne similem posthâc cladem generis humani ab aquis unquam metueret, accepit. **HUNC** igitur diem cum Antiquitas veneranda Scholæ nostræ, singulari DEI providentiâ, natalem & fatalem



fatalem animadvertisset: ideoq; illo ipso die, post novum opus absolutum, elapso biennio post, ex veteri illa Schola, Parochialibus adibus Blasianis contigua, juventutem scholasticam omnem, cum Praeceptoribus suis, tanquam ex priori mundo egredi, inq; nomine Omnipotentis DEI in hunc novum & velut alterum mundum, ex quo deinceps grata hujus civitatis posteritas prodiret & feliciter egrederetur, non modo concedere jussit: verum etiam deinceps quotannis eundem diem, gratâ recordatione, Schola nostra sacrum atq; solennem esse voluit: imò hoc voluit, ut Schola nostra perpetuò arca illius veteris, à Noah fabricata, simulachrum fieret, adeoq; signum hujus diei nobilissimum & notabilissimum, arcum tricolore seu Iridem præferret. Sicuti & supra fores Scholæ nostræ arcum illum saxo incisum & coloribus suis illustratum videmus, cum hac inscriptione:

FAUSTA DIES MAJI DEDIT HUIC FUNDAMINA  
TECTO:

QUA REPERTIVIT HUMUM NOA, FAVENTE POLO.  
HÆC DOMUS EST CHRISTI DOMUS: HUC PROPE-  
RATE PUSILLI.

VOS VOCAT ET VOBIS ASTRA PATERE DOCET.  
Pium profectò & laudatissimum veterum institutum! quod quanto pietati congruum magis, tanto minus in desuetudinem ut veniat admittendum est.

Cum igitur dies ille, per DEI gratiam, nobis denuò illuxerit, qui quidem Scholæ nostræ natalem quinquagesimum attulit: convenimus in nomine DOMINI, anniversariam hanc festivitatem consuetâ solennitate iterum celebraturi. Ideoq; jam modò invocato Spiritus S. auxilio, pro more consueto, capita aliquot Bibliorum sacrorum, quibus tota illa historia continetur,



tinetur, relegimus, & nunc quod in more amplius positum est, reliquum, cum D E O, peragemus. NON autem dubito, vos mirari, Auditores, quid sit, quod ego à reliquâ consuetudine prorsus recedens, peregrinam questionem, de silentio videlicet Pythagorico, sicuti programma, quod in manibus habetis, vos edocuit, considerandam assumpserim, cum tamen consuetudo hætenus fuerit, ex arcâ educere quicquid in arcâ fuisset, vel arcam ipsam Noë, vel simile quid, quod ad historiam illam pertineret, explicare. Quanquam autem non inficior, hoc institutum meum temporis fortassis & huic solennitati aliquâ ratione incongruum videri: attamen, si meam eâ de re mentem penitus cognoscatis, nihil dubito, quin percepturi sitis, rem illam, quam acturi sumus, non omnino ab hac die & solennitate esse alienam. Persuasum est nonnullis quinquennale Pythagoræ silentium ita Scholis hodiè esse commendandum, ut Discipuli, quicquid per atatem, per eruditionem, per loci oportunitatem disputando aut declamando prestare possint, in Scholis inferioribus prorsus intermittant: inq; silentij castris se tamdiu contineant; donec aliquando ad Scholas publicas, quas Academias vocamus, progrediantur. Tunc enim licere, nec quidem initio statim, sed aliquandiu in iisdem versatis, in publicum adsurgere, dicere, disputare, & alia hujusmodi eruditionis specimina edere. Derident itaq; & carpunt, si quid in trivialibus Scholis vel etiam Gymnasijs hoc nomine suscipiatur aut peragatur. Et hac quidem in bæresi non sunt imi quidam subsellij homines; sed qui famam etiam in majoribus adfectant. De his verò nihil amplius jam interponam: concertare potius sinam hos, quos in inferiori exedra constitutos videtis, discipulos meos. Id tamen amplius à me perficietur, ut demonstrum, nos hac ipsâ questione  
ejusq;



eiusq; pertractatione non prorsus abire à festivitatis hujus so-  
lemnitate, atq; illà, quã dixi, consuetudine. Quod antequam  
dem expeditũ, quæro: An etiam in arca Noæ conclusi fue-  
rint pisces? Mira & fortassis ridicula quaestio: hæc festivitate  
nunquam (jurare ausim) examinata. Ego verò pace & in-  
dultu vestro, Auditores, examinabo; sed paucis, propterea  
quòd altioris indaginis non sit.

Dico igitur non fuisse pisces conclusos: propterea quòd  
scriptura non dicat. Ex jumento, inquit, mundo, & ex ju-  
mento, quod non erat mundum, & ex volatili: atq; ex omni,  
quod reptat super terram bina ingressa sunt ad Noab in ar-  
cam. Quod reptat, inquit, non quod natat. Quod reptat  
super terram: non, quod natat in aquis. Ex volatili, inquit;  
nò ex natatili: quamvis Plinius aliquoties, & Johannes Lerus  
in navigatione suã ad Americanos, pisces etiam volatiles  
se vidisse confirmet. Et quomodo in arcã fuissent? Extra  
locum, extra elementum suum? Quæ enim aqua in arca  
fuerunt, sicut haut dubiè fuerunt, illa ad sustentationem ani-  
malium pura esse debuerunt. Non igitur piscium squallore  
collutanda.

Quid? quòd extra arcam pisces conservari melius,  
quàm in arcã potuerunt. Aqua enim hic ad satietatem usq;  
in quibus ludere per omnem orbem liberè potuerunt. Sed  
& nutrimenta in aquis. Nam quot millia hominum,  
quot brutorum periere, quanta fructum & frugum copia ma-  
ribus exundantibus commixta! At ne aquas stagnantes quo-  
rundam piscium generi minus accommodatas fuisse putes: a-  
qua certè illa propter continuam agitationẽ & ventorum, qui  
& ipsi ob halituum perpetuò assurgentiũ copiã continui fuerunt,  
impetum



impetum integræ & frigidiuscula manserunt, ut hinc conser-  
vationi piscium aptissima & accommodatissima extiterint.  
Quâ verò de causa terrestria solum & volatilia ab aquis con-  
servari oportuerit, causa manifesta est, quòd in aëris tantum  
elemento vivunt. Quâ ratione piscium quoddam genus licet  
volet, & cete licet aërem captent: attamen cum in aquis com-  
modè & vivant & subsistant, & aërem quantumvis humidum  
facile ferant, alio conservante non indigebant. Indigebant  
autem illa, quæ in aëre tantum vivunt, & in illo respirant: ut  
terrestria & volatilia, vel, ut textus habet, omnia in quorum  
naribus erat halitus & quæ in sicco erant. Hæc ipsa enim re-  
spirare in aquis, & in terrâ aquis undiq; obductâ nullibi consi-  
stere poterant. Ideoq; columba emissâ à Noah, cum non inve-  
nisset requiem planta pedis sui, reversa dicitur ad eum in ar-  
cam, propterea quòd aquæ fuissent in superficie terre universa.  
Jam verò pisces in aëre non vivunt, aut si vivunt, tantum non  
vivunt, & ut constans Philosophorum sententia est, omnes &  
maximâ quidem parte non respirant, tum quòd pulmonibus  
carent, tum quòd ventrem ad os proximè collocatum habent,  
& aquis consistunt, licet aliqui respirent. Ad quid ergò ar-  
câ comprehenderentur? cum Natura extra aquas conservare  
recusârit; in aquis omne illud genus conservatum voluerit.  
Sic ergò putemus, ostio arcæ illius in fronte præscriptum fuisse  
id, quod studiosos quosdam meminî foribus suis præscribere,  
**PISCIS EXESTO:** indicio quòd neminem intromissuri  
essent, nisi voce, quis esset, loquentem se prodidisset.

Sed quorsum hæc, **AUDITORES**, quorsum? quid ad  
Scholam hæc de piscibus dissertatio? Ad Scholam, inquam, ad  
actum hunc rectâ tendunt omnia. Hæc enim Schola nostra  
ejusmodi est, ut Arcam Noæ representare; hic actus ille est,  
qui



qui arcam & qua in illâ conclusa fuerunt, aut non fuerunt ex-  
pendere omninò debet. Si itaq; arca nullum animal continuit,  
quin idem in aëre viveret, & quia in aëre viveret, respiraret,  
& quia respiraret, vocale esset, & quia vocale esset, nec mutum,  
nec ἀφωνον, nec piscis esset: ideoq; in nostrâ quoq; arcâ anima-  
lia nonnisi aërem trahentia, nonnisi respirantia, nonnisi voca-  
lia; non ἰσθια, non pisces contineri meritò debere certum  
est. Aëris hic locus est, & hic liberè spirant & respirant o-  
mnia. Sunt enim jumenta hic aut erunt, qua Rempublicam  
viribus aut voce juvent aliquando, in templis, in curiâ, in  
Scholis: quamvis hic ut in arcâ illâ Noë munda cum immun-  
dis simul reperiantur. Atqui volatile unâ genus hic est: ni-  
mirum eorum.

ardua cælorum qui templa volucris alis  
ingenij poterunt olim penetrare:

qui, quod Græci dicunt, ἀετοὶ ἐν νεφέλαις, aquila in nubibus e-  
runt, hoc est in omni genere doctrina ardua quæq; tentare &  
sublimitatem nominis, DEO optimo maximo Duce, affectare  
& consequi poterunt. Reptabunt fortassis aliqui in terrâ;  
non inter aquilas, quæ sublimes cæli plagas petunt, numeran-  
di; sed inter struthiones aut marinos passeris, qui curriculo,  
ut ille ait, volant. Terram itaq; radent: sed tamen & aërem  
captabunt: & vel per modestiam in imis se continebunt: ut  
hac quidem summa sæpè est felicitas: non nimis alta petere;  
non altum sapere. Quiqui autem futuri, certè DEO &  
Reipubl. voce suâ inserviant. Atq; ut inserviant maturè hic  
preparandi & exercendi sunt.

Itaq; nullos Schola nostra pisces contineat, nec Pytha-  
goræos discipulos, qui quinquenniū taceant: multò verò minus  
qui ἀπὸς ἐδα illud principium agnoscant. Linguis sese effe-  
rant

B



rant potius Discipuli in laudes Jehove quotidie: aviculas imitentur, qua voce canora DEUM conditorem quotidie celebrant. Impleant illud regij Psaltis votum, qui ex ore infantium & lactentium fundatam Domini fortitudinem predicat, Psalmo octavo. Imitentur non Pythagoreos illos discipulos aut Praeceptorem Pythagoram, sed dulcissimum Servatorem suum, linguâ verè disertâ Doctorem optimum maximum: qui puer duodecennis in Academia Hierosolymitanâ inter Doctores & Professores sacrarum litterarum sedens, eosdem questiones & themata proponentes audivit, & ad illa qua proposita erant, interrogationes, hoc est, ut nos vocamus, argumenta opposuit: ut est apud Lucam Cap. 2. v. 46. Qui & ipse mutata vice Respondentem egit atq; etiam Presidem, suâ intelligentiâ ceteris omnibus prevalentem: ut innuitur versiculo sequenti: ubi perculsi dicuntur omnes, qui ipsum audiverant. Sed quam ob rem? super INTELLIGENTIA & RESPONSIS ejus, ut verba textus habent.

NOSTRI itaq; & pueruli, & summâ, Discipuli universi, quod & de puero-Christo predicatur, indies non modò staturâ crescant; sed crescant & roboventur Spiritu, impleantur & proficiant scientiâ & gratiâ apud DEUM & homines. Ne igitur pisces, ne muti sint, quos Schola continet.

Non animus pisces mensâ proscribere nostrâ:

Proscribo à Cathedra; proscribo à limine ludi: uti quidem lusimus in Inauguratione nostrâ Poeticâ, ex hac Cathedrâ olim dictâ. Et cur pisces hic includamus? cum tallium abundè satis, extra arcam illam, mare orbis universum contineat. Quid igitur opus, ut in ipsam quoq; arcam inferantur? Sat piscium in omni vulgo, in omni orbe, quamvis non in omni mensâ. Nec aqua, qua in arcâ nostrâ limpida sunt,



sunt, inquinentur Pythagoreorum piscium squalore. Puram habemus, divinam gratiam, doctrinam religionis: puram institutionis humanae. Quod squalidum est, extra est. Foris cetera sunt, foris ranae, cum reliquo piscium genere. Monstra opinionum nulla ferimus, nulla fovemus. Non est quod Pythagoreorum ἀνὸς ἔφα de Papa suo Papanus, de Calvino suo Calvinianus, de Photino suo Photinianus nobis obvertat. Hic, in divinis, verum illud ἀνὸς ἔφα Propheticum retinemus: DOMINUS DIXIT. Hoc nimirum verbum est illud, secundum quod qui non dixerit, non erit ipsi matutina lux. Neque est, quod in humanis ἀνὸς ἔφα, vel de Aristotele Aristotelicus, vel de Philippo Philippicus, vel de Ramo Ramicus quispiam nobis obtrudat. Hic ἀνὸς ἔφα nobis est RECTA RATIO, hoc est igniculi à divina imagine nobis relictī, ope divina & assidua diligentia amplius excitati. Et placet hic sapientissimum ipsius Aristotelis decretum: Amicus Plato, amicus Socrates; sed magis amica VERITAS: & quod Poëtarum recentiorum quispiam dixit:

Una Sophis ratio est, ævum quā stantvè caduntvè:  
Exsuperat ratio Ramum & Aristotelem.

ERG O, Auditores spectatissimi, jam, credo, videtis, quomodo actus noster Oratorius, de Silentio Pythagorico instituendus, cum festivitate Scholæ nostræ conspiret, quàmque nihil prorsus ab eadem abluat. Quod si quis abluere sentiet tamen, petimus, hoc saltem expendat, esse questionem de re Scholasticâ, de re, quæ ab illis, qui de constitutione scholarum disputant, in dubium vocari solet. Et quæ igitur sit ratio cur in solennitate Scholasticâ eadem non ventilatur? Sed nihil est, AUDITORES, quod vos remoretur.



Ego potius vos remoror anteloquio meo, quod volenti abbreviare in ore & sub manibus, quam erat propositum initio, crevit: vosq; mihi ignoscatis peto. Quin colligo ex fronte, ex oculis, ex omni vultu, vos expetere, ut & hi, qui infra me sunt, loquitari incipiant.

Quod quia jussu meo jam modo facient, quaso à vobis, VIRI MAGNI, ut patienter ad horam, aut si quid excurret, audire ipsos non gravemini. Spero talia omnino allaturos, que & confirmare ipsorum diligentiam & vestram ipsis audientiam & faventiam conciliare possint.

AGITE ergò mei vos: agite; concertationem vestram de proposita questione instituite, & huic auditorio quid in materia hac, & isto studiorum genere presteritis, palam facite. Ego interim in hac speculâ constitutus aurulas captabo, ab illo Euro Poëticas, ut cum vestro officio satisfeceritis, actus hic colophone suo, uti spero & opto, apto ac convenienti terminetur, hoc est Scholæ-Instauratoribus & Patronis grata meritorum encomia statuatur, & DEO optimo maximoq; sacrificia laudum & preces pro re & publicâ & scholasticâ immolentur.

—S(O)—

D I X I !





MAGNIFICO,  
AMPLISS. CL. CONSULTISSIMO  
VIRO  
DN. CHRISTOPHO-  
RO Reinhart J. U. DOCTORI,  
POETÆ L. CÆSAREO,  
LIB. IMPERIALIS REIPUBL.  
MULHUSINÆ  
CONSVLI PRIMARIO,  
ET p. t. SYNDICO MERITISSIMO,  
DOMINO ET PATRONO MEO, SUBMISSÈ  
ET OFFICIOSÈ COLENDO,  
IN STUDIORUM MEORUM  
TESTIMONIUM  
SEQUENTEM ORATIONCULAM  
D. D.

SÆpè Augustus abest, simili non sorte Marones;  
Sæpè Augustus adest, si Maro; sed quid ago?  
Non Maro sum, fateor; tamè haud me sperne, Patronū  
Clare vir, huic genio te voco quando meo.  
Vile quid est, majus meruit tua pectore virtus  
De me, de toto nostro adeoq; grege.  
Euge ignosce, bonam mentem non exue, Musas  
Perge fovere pias, perge favere bonis.  
Musatum nomen sic rursus nostra fovebit,  
Desinet haud famæ Musa favere tuæ.

ANDREAS SCHULTZIUS Guderlebiensis,  
Gymnasij Mulhusini Alumnus.

ORATIO



Σὺν Θεῷ καὶ ἡμῶν.

# ORATIO PRIMA.

Scripta & habita

ab

ANDREA SCHULTZIO GUDERSLE-  
BIENSI CHERUSCO.

**N**efas erat, Viri Magnifici, Reverendi, Ampliſſ. Conſul-  
tiſſimi, Clariſſimi, Doctiſſimi, Factores ac Præcepto-  
res, omni obſervantia ſtudio ſemper colendi, tuq; Com-  
militonum ſua viſſimorum corona fragantiſſima, ne-  
fas, inquam, erat maximum, & vix expiandum piaculum, me  
in venerando conventu, atq; in hoc ampliſſimo veſtro conſeſſu  
vel hiſcere ac mutire quicquam, nedum ad dicendū conſurge-  
re vel pedem hoc in loco collocare; ſi & conſiderare meipſum,  
& ipſum, cujus gratiā adſurrexi perpendere non imprudenter  
velim. Scire equidem vos cupio ſingulos ac univerſos, conſcen-  
diſſe me alumnū hujus Gymnaſij in hoc grandi licet, attamen  
ad hęc rem ſatis immaturo ætatis flore conſtitutū hanc, quam  
videtis Cathedram, non ut curioſo curioſi ingenij acumine res  
abſtruſiſſimas quasdam multis verborum ambagibus explica-  
rem, aut in laudibus cōmendati alicujus viri plenis buccis de-  
cantandis diu commorarer, ſed nec ut vivos aliquarum virtu-  
tum præclariffimarum colores vobis depingerem; quippe qua  
non tantū meis majora viribus, ſed etiam ab ætate meā aliena  
duco: multò minùs verò, ut hæc faciendā meis ſuaderem com-  
militonibus; abſit à me longè, abſit nefandum crimen; imò ut,  
diſſuaderem potiùs illis hoc ipſum, ob veſtram vobis & ætate  
grandioribus, & doctrinā robuſtioribus autoritatem, & dicen-  
di præcipiendiq; libertatem hæctenus non tam ereptam, quàm  
præ-



praeceptam integram ac incolumem conservarem, adeoque discipulis omnibus cumprimis vero commilitonibus meis Silentiium Pythagoricum non uno aut altero saltem anno, sed toto quinquennio observandum, firmis rationibus inculcarem. Hic ergo scopus futurus est unicus, ad quem totius meae orationis cursus velut ad Helicem & Cynosuram unice dirigetur; haec Rhodus, ubi mihi saltandum modo putavi. Quod ipsum dum fecero, instar cotis esse, non nemini videri fortasse potero, quippe, quae cultellos acuendo, secare quidem, & ferrum penetrare ac destruere facit quaeque durissima, ipsa tamen interim nec acumen habet, neque secat quicquam. Num ea pilos radit? num ingentia robor a prosternit, extruendisque adibus ligna lapidesque preparat? Nempe & mihi tacendum erat, siquidem alijs, ut taceant, autor sum: cumque nihil sit doctori turpius, quam si ipsum eum culpa redarguat; aut minus commodum, quam si verbis aliud, aliud factis monstret, non debebam in hoc certe loco pedem figere, aut verbum ullum facere, nisi turpissimam maxima stultitia incurrere notam velim.

Atqui ecce astare me coram videtis, quodque in alijs vel maxime culpandum existimo, presentibus tot, tamque praeclearis viris longum sermonem texere: quae igitur dementia mea est insignis, quae enormis audacia? Sed non potui, non inquam potui, ut voluerim maxime, supersedere hoc dicendi munere, idque propter rationes numero innumeras, & pondere gravissimas, quas si audieritis, non dubium mihi ullum oritur, quin sitis factum hoc non solum non vituperaturi meum, sed etiam bene accepturi ac probaturi.

Nunc tamen



Nunc tamen antequam progrediar ulterius, de Pythagorâ, ejusq; silentio præfari pauca certum est, quæ me vel ex ore præceptorum meorum audivisse, vel ex scriptis aliorum doctorum virorum legendo hausisse, recordari potero. Et patriam si primò spectare velimus illius, Samum eam fuisse quidem, literarum monumentis proditum est; sed quam tamen Polycratis occupatam tyrânide relinquere maturè maluit, quàm ita miseris modis à crudelissimâ illâ beluâ vexatâ diutius presentibus oculis contueri. Quod ipsum ne facere cogeretur, utq; sexcenta alia à cervicibus declinaret pericula, sed & sibi suisq; tranquillam sedem pararet studijs, Italiam petijt, eamq; partem illius, quæ Calabria seu Græcia magna dicebatur, longo postmodò tempore inhabitavit. Longiùs aquo mihi cresceret hic orationis filum, si de studijs, cum primis verò doctrinâ ipsius dicere, vel leviter saltem adlaborarem, quâ tantâ excelluit, ut ex omnibus terræ plagis discendi causâ plurima ad eum juvenum turba confluxerit, & peculiaris inde à peculiari philosophandi modo secta, quæ à principe suo Pythagorâ Pythagorica postea obtinuit dici, nata sit. Tempus autem, quo maximè floruit, excelluitq; illud fuit, quo circa annum mundi termillesimum trecentessimum quinquagesimum nonum, Zedechiâ Judææ Rege urbs Hierosolomytana à peregrino milite oppugnata & expugnata quoq; tandem fuit, id quod annis 589. ante Christum natum accidisse fideli historicorum nobis operâ comperitum est. Sed etiam Ægyptum pervenisse, Judæam peragrâsse, Babyloniam adÿsse, Cretam & Lacedæmonem usq; pertigisse eum ipsum novimus, quibus ille in locis sacra Physica, Mathematica, sed & Ethica non solum didicit, sed etiam postea maximi cum fructus laude docuit, adeoq; quantam bonarum artium & partium sarcinam hinc inde collegerit, quantamq; secum so-



cum solus portaverit, conjectu minimè est difficile cogitanti.  
Qua cum ita sint, adeò sese tamen humilitatis demisit studio,  
ut cum illi, qui eruditione aliquâ excellebant, primùm Sophi  
dicerentur, ipse primus hoc nimis arrogans sibi visum nomen  
detrectaverit, Philosophiq; magis conveniens, quod exstima-  
bat, quaesierit, invenerit, in posterosq; propagarit. Cum enim  
rogaretur aliquando à Leontio Phlasiarum principe, quâ in  
re maximè sapiens esset, modestissimè ipse respondisse atq; di-  
xisse fertur:  $\sigma\kappa\alpha\iota\mu\iota\sigma\phi\omicron\varsigma$ ,  $\epsilon\iota\lambda\lambda\alpha\ \phi\iota\lambda\omicron\sigma\phi\omicron\varsigma$ , hoc est, non sum  
sapiens, sed sapientia studiosus. Id ipsum verò quamobrem?  
Nullam certè ob causam aliam, quàm ne quod immortali DEO  
soli competeret, homini mortali fortasse tribueretur. Quid  
multa? Fuit Philosophus, ut dicam, reverà doctissimus, fuit  
idem, quo nullū in erudito decus majus, modestissimus, adeoq;  
discipulos etiã suos noluit nocentissimo superbia veneno imbui,  
aut tumida arrogantia vento impleri; sed credulos esse ma-  
gistri verbis iussit, & velut ex Tripode responsum haberi, quic-  
quid etiam proferret; adeò ut etiam alijs hujus vel illius rei  
certas rationes inquirentibus, nihil præter unicum illud:  
 $\alpha\upsilon\tau\omicron\varsigma\ \epsilon\phi\alpha$ , ausi sint ipsi respondere. Et profectò nihil ipsi  
magis cura cordiq; fuit, quàm ut intra modestia fines discipulos  
retineret: undè factū est, ut etiam certos ipsis limites præscri-  
pserit, ultra quos ante determinatum tempus nullo modo licuit  
evagari. Nempe non illis vel disputare concessum fuit in con-  
venticulis, vel causas dicere in foro, vel perorare in collegijs,  
antequam toto quinquennio elapso plenè & planè præmansum  
doctrina cibum concoxissent, & in succum sanguinemq; con-  
vertissent. Atq; hic ille Pythagoras, hac eruditio, hoc institu-  
tum illius fuit deniq;, num culpandum? Nihil video, quod  
in eo reprehendi jure, aut corrigi meritò queat; imò probandū  
potius,

C

potius,



potius, laudandum, & omnibus discipulis studiosè imitandū,  
si modo ad solidam solida eruditionis culmen seriò contendant.  
Nempe ipsa si adhuc hodiè sedulò tereretur via pede, multò in-  
genia haberemus modestiora, haberemus maturiora, habere-  
mus robustiora. Verùm enimverò quotus quisq; (proh dolor!)  
hodiè biennium, nedum quinquennium tacet discipulorum?  
Vix limen Scholæ ingresso, vix triduò aut quatriduò in ludo  
versato literario, incipientiq; literas colligere non placent infi-  
ma amplius subsellia, Cathedram conscendit protinus, jam sibi  
placet disputando, jam declamando, jam nescio quid agendo.  
Exulat ergò proscriptum ex Scholarum parietibus laudatis-  
simum præceptum, jacet mos antiquus ille optimus, situm duxit  
sub scamnis quiescens Pythagoras. Videtis jam, auditores acu-  
tissimi, quæ me res adegerit, ut hunc locum, quem magis atq;  
orcum formidavi hæctenus, adire non sim veritus, hæc sola nẽ-  
pe, quòd huic pessimo morbo, qui longè lateq; rependo omnes  
Scholas infecit, & altè radices egit, remedium querere cupiã.  
Certò equidem quantum potero enitar, Silentiumq; Pythago-  
ricum junioribus etiamnum hodierno die observandū, ac pro-  
inde ab omni publico exercitio seriò abstinentiã esse, argumẽ-  
tis firmissimis evincam. Dico igitur, non curare me, imò for-  
titer contemnere, & ex alto despicere calumnias illas, quibus  
adoriri me fortè possit quispiam: Ipsum me facere illud, quod  
non faciendum putem. Sed & regevo, me eodem Silentio de-  
inceps libenter usurum, si modò hoc prius, quod intendo, quodq;  
necessarium puto, alijs persuaserim. Militem ergò talem me  
non immeritò quis dixerit, qui quidem non ut sit bellū, quo ge-  
rendo magnoperè delectetur, sed ut per bellum denuò pax exsul  
restituatur, militet. Dico igitur, nò quòd dicere cupiã, sed quòd  
cupiam vos commilitones singulos ac universos, & meipsū de-  
inceps



inceps nō dicere, silere, quiescere, nihil tentare, quod prater ordinē sit, aut supra aetatem nostrā. Jam vos appello denuō, excellentissimi viri, à vobis peto, coram vobis supplico, ut patienti animo hosce conatus meos non malos, nec malo fine susceptos feratis. Vos v. etiā cōmilitones, quaso, mei suavissimi, diligenter, ut jam facitis attendite, & (res vestra hic agitur) huc omnibus velis contendite, ut me bene monentem cōmilitonem rectē intelligatis, & re intellectā deinceps studiosē sequi queatis. Atq; ut hinc mea orationis solvam p̄ymnesia, primō omnium qui omnis eruditionis unicus fons est, ac scaturigo, Discendū esse arbitror. Neminem nasci artificem, non minūs οφωσ, quāμ οφωσ, dici consuevit. Nempe si nobiscum nascerentur ex utero materno doctrina sapientiāq; semina, aut cū lacte nutriticis inbiberentur, deinde cum corpore sponte suā succrescerēt unā ad plenos usq; maturitatis annos, nullum esset dubiū, quin quilibet impurus cerdo vel bubulcus doctus esset evasurus, & quo quisq; procerior altero, tantō ipse illo eruditionis ornamento esset superior futurus. Verūm cū secus fiat, & vix labore multo, lectione variā, auscultatione diligenti, assiduis lucubrationibus efficiatur, ut viri docti nomen quisquam mereatur, Discendū est, clamo, Discendum est. Quibus ergō? Non bene mentis mea compos sim, si capite canos, aut eos, quorum setis horret instar silvæ mentum applicato humeris sacculo Scholas frequentare, ad tabulam stare, magistrūq; formidare ferulas jubēā. His enim, si nondum profecerunt quicquam, omnem rectē spem adimo, boni prosperiq; successus; illi ne quidem sperare possunt quicquam. Juvenibus ergo discendum est, juvenibus sapientiam, juvenibus eruditionem, sed & virtutem propter aetatis & judicij imbecillitatem maximē deesse cernimus.



*sed & unicè ac sedulò hoc fieri debet. Unicè dico: Non enim docere debet, ut nec potest, alios, non stivam tenere manu, non boves pascere, aut aliud agere debet juvenis, prater hoc unicum, discere. Si quis ergò vestrùm, commilitones optimi, accedat nunc me, me consulat, roget, primo quid anno faciendū putem? Ego respondebo; discendum esse; sin quærat, quid secundo? respondebo: discendum esse. Sin amplius urgeat, quid tertio, quarto, vel quinto etiam? Nihil eliciet prater hoc unicum: discendum esse. Illud verò sedulò etiam. Sedulitas enim mater eruditionis est, sedulitas ingenij cultrix, sedulitas quasi malleus est, quo solo crassissimos ac durissimos perfringere ignorantia muros, adq; nitidam sapientia arcem pertingere possumus, quum qui non adhibet, aut minus diligenter usurpat, multos oportebit illum annos in squalido illo desidia tenacissimis constrictū vinculis jacere carcere; sed quid jaciturum multos annos dico? imò perpetuum in luto situm trahet, computrescet prorsus, peribit, nec ulla unquam dabitur spes evolandi. Sed quid? Non omninò loquendum est adolescēti? Non equidem ipsi constringam laqueo gulam, non linguam ipsi præcidam, non instar inertis trunci esse jubebo, ne ullum cum amicis, cognatis, familiaribus sermonem conferat; hem ipse tunc sanè truncus sim; Sed hoc (rectè percipite verba, auditores, mea) hoc inquam quæro, num primis annis adsurgendum ipsi fas sit in Cathedram, qui nondum proferre syllabas vel literas etiam rectè didicit, nedum ut linguas artesq; calleat bonas, ut idem inde præceptoribus, vel alijs eruditis sese opponat viris ipse rudis, vel doctis & eloquentibus ipse infans ac balbus persuadeat, aut suggerat ea, quæ ipsi longè melius intelligunt, melius sciunt. Sus Minervam! Sues doceat ille! Nego sanè, nec ego sic loquentem ferendū, sed deturbandū esse arbitror,*  
qui



qui quidem ad discendum unice pro tempore datus & accom-  
datus est. Atq; ad hanc sententiam vel elegantissime mihi vi-  
sus est Apulejus aluisse, quando sic quodam ait in loco: Hoc  
est primum sapientia rudimentum, meditari discere, loquitari  
dediscere.

Quicquid sit, ita omnino statuo, & me vel ipse Cicero, e-  
loquentia Romana parens dictus, frustra omnibus adhibitis ma-  
chinis ab hac opinione mea abducere conabitur, perfectis de-  
mum adsurgendum, perfectis declamandum esse. Hi namq;  
soli sciunt affirmare recte factum in cerebro bene culto, & e-  
dere aliquid possunt solidi; hi soli norunt rebus suis acutissime  
excogitatis, sapientissime inventis, prudentissime collocatis na-  
tivum colorem affingere, & appingere; ut in stuporem quasi  
& laudem ipsorum rapiantur auditores: His datum est, ut  
incepto operi, addere sciant supremam manum, ne in medio  
turpiter deficient cursu. Quam vero horrenda saepe pari-  
ant monstra sermonis, quam mutila & nullo modo coherencia  
perficiant, (ut de solecismis interim, & barbarismis taceam)  
illi, qui immaturi adsurgunt & imperfecti, clarius est, quam  
ut negare quisquam queat. Vah quam saepe perita horum ser-  
mone magis ac asininam auditam voce dolent aures! quam sto-  
machus saepe politus respuit ac fastidit, instar cadaveris putridi,  
obscena illorum & obsoleta verba! Sed etiam clandestinus  
quam non raro casbinnus oritur, qui ne foras erumpat, bonumq;  
confundat oratorem, contineri vix saepe potest, dum modo in  
illam peccatur largiter artis legem. Quae tamen omnia non  
gustat ipsorum obtusum palatum male accipi ab eruditis, quin  
potius in meliorem sibi partem ea ipsa interpretantur omnia.  
Verum o juvenes temerarii, adeone stolidi estis, ut non intelliga-  
tis vos rideri? adeone stupidi, ut non sentiatist vestrum lido-



brio haberi factum? ad cōne cæci, ut non videatis vos vestram  
ipſorum ſtultitiam prodere? Stultitiam profectò proditis ve-  
ſtram tentando ea, qua & præter ætatem, & ſupra vires ſunt  
veſtras ſita. Quales ergò illos dicam tandem? aut cum qui-  
bus conferam tales? Dicam eosdem Icaro ſimiles, qui alas ex  
cerâ pennisq; confectas mutuatitijs ſibi applicando cum aqvi-  
lâ volatu contendere, & ad ſolem non timuit propiùs accedere:  
Dicam Phaëtboni ſimiles, qui acceptis à parète franis, Solis  
voluit equos regere: Dicam ſimiles imperito nauclero aut no-  
vello equiti, quorum ille regenda petit ſibi navis gubernacula;  
hic equi ferociensis & recalcitrantis fræna moderari præſumit.  
Verùm enimverò quemadmodũ Icarus ille & Phaëtbon meri-  
tas ſua ſtultitia pœnas dederunt; & quemadmodum nihil im-  
punè imperitus vel nauſa vel eques tale tentavit unquam: ita  
& illi (verus augur ſum) ſua temeritatis merita præmia; præ-  
mia, quibus ſuos inimicos optarent affici potiùs, quàm ſemet  
ipſos, portabunt aliquando tandem. Namq; ut illud quod de  
perfectiōne dixi, repetam, nemo quidem adoleſcentes perfectos  
dicet, cui ſanum adhuc ſinciput. Ecquem enim perfectum di-  
cimus? num illum, qui qualicunq; imbutus eſt præceptorũ co-  
gnitiōne? Negamus. An v. illum, qui ſecundum huius vel illius  
artis normam ſemel verbum legitime protulit? Delirare dicã  
eum, quiſquis hoc dixerit. Sed ille, ille perfectus dici demũ me-  
retur, qui ex habitu agit. Habitus verò eſt ex crebris, actiōni-  
bus comparata qualitas, quâ aliquis aptus eſt, ad quaslibet a-  
ctiōnes non difficulter obeundas. Procedat nunc in medium a-  
liquis, oſtendat mihi crebras, ſi poteſt, actiōnes in juvene, mon-  
ſtret in obeundis actiōnibus quandam facilitatem. At qui non  
poteſt ullus unquã; fruſtrâ conatur hoc aliquis, & ſi ſoli que-  
rendus detur, vix, ac ne vix quidem, illud qui queat, juvenis  
poteſt



poteſt inveniri. Dicite ergò auditores optimi, apertè, candidè,  
quid ſentiatis dicite, annon, ſi adſurgere ad dicendum jubeam  
talem, idem ſit, ac ſi infantem ambulare, aliquè ſine pennis vo-  
lare jubeam; aut ſi ex pumice aquam petere velim? Annuere  
vos hercle candor jubet, aliter loqui vos veritas prohibet.

Quod ſi omnes ſuis diſcipulis quietem præcipiunt artiſces,  
nec eosdem prodire, aut artis jubent edere ſpecimen, antequã  
& plenam artis cognitionẽ & perfectum ſibi crebris actionib<sup>9</sup>  
habitum compararint; imò ſi proſcribunt eos, qui ante matu-  
rum conſtitutumq<sup>3</sup> tempus maturitatem ſibi fingentes & ima-  
ginantes fugiunt à magiſtris ſuis; non video, cur non idipſum  
etiã in Philoſophico ſtudio, literisq<sup>3</sup> humanioribus poſſit debeatq<sup>3</sup>  
obſervari. Rectè enim dubito, utrum hoc neglecto majus reſul-  
tet inde in Rempubl. literariam incòmodũ, quàm iſtinc in arti-  
ficum tribus ordinesq<sup>3</sup>. Quid? quòd ſi meam liberè liceat dicere  
ſententiam, fateri auſim, tantò in re noſtrã jaçturam eſſe ma-  
jorẽ, quãtò artibus non liberalibus præſtantioreſ ſunt illæ, qui-  
bus unicè noſtram ſemper operam nos, oleumq<sup>3</sup> impèdimus, quæ  
verò tantò præſtantioreſ ſunt, ut illæ præ his ſordida dici con-  
ſueverint. Sartor certè non tradit diſcipulo veſtem præcioſam  
elaborandam, quin ipſemet (quanta ejus in re tã vili ſit cautio  
vide) è manibus ejusdem etiam aliàs ocioſi ereptam conficit.  
Nauclerus v. etiam imperito non committit clavum, adeoq<sup>3</sup> vi-  
tam ſuam famulo, ut qui peccare facile, & cùm ſeipſum, tùm  
totam navem peſſundare citò queat. Ut compendiò dicam: O-  
mnes artiſces, quotquot ſunt, quietẽ præcipiunt diſcipulis, neq<sup>3</sup>  
illis committunt quicquam, quod ſupra vires illorum eſſe in-  
telligunt. Et nos eò deveniemus ſtultitiæ, ut tenerrimam te-  
nerrimæ ſapientiæ veſtem tyroni cõmittamus, eã ut imperitè  
tractet? malè dilaceret? turpibus aſſumentis inhoneſtet?

Et



Et adeò apud nos omnis exulabit prudentia, ut navem illam  
preciosissimarum rerum, seruo fugitivo regendam tradamus?  
Metuendum, profectò ne ille non oleum ac operam saltem, sed  
etiam, quæ res vel solo auditu horribilissima, rem perdat uni-  
versam. Quicquid ergò garriat fex vulgi, omninò verum  
hoc esse arbitror, & ipso sole meridiano constare clarius, nullà  
in re magis cautione opus esse & diligentia, quàm in studiorum  
cursu feliciter & confirmando & absolvendo, ideoq; viam il-  
lam, quæ ad artes & honorum culmen ducit, non facile aut te-  
merè esse tentandam. Imò cum Cicerone teste, omnis actio  
vacare debeat temeritate & negligentia; hac certè, quâ quis  
ad pulcherrimam sapientia variaq; doctina arcem cõtendere  
nititur, eam admittere nequaquam potest. Sita enim in ex-  
celsissimo monte est hac, ad quam proclivis & angusta semita  
patet, densis septa spinis & acutis saxis aspera, quam sæpè ni-  
mis temerè ingressi plurimi medium antequam ejus contig-  
runt, repressi sunt laborum supra vires susceptâ mole, fractasq;  
cervices gemuerunt in imis reperti turpitudinis vallibus.  
Quippe minimè sunt falsi illi, qui hoc ab omni ævo in hunc usq;  
temporis articulum experientie magistra dictamine ducti do-  
ctiq; oris & calami perpetuo consensu comprobarunt. Ut qui-  
dem factum esset, ut illi à veritatis orbita deflexissent, non illi  
alios saltem in fraudum ac mendaciorum devijs detentos  
damno affecissent, deterrendo eosdem ab utilissimo proposito;  
Sed etiam suis ipsorum obstitissent commodis, si viam istam  
tàm facili ratione ingredi, & culmè illud attingere quis possit.  
Sed audite super hac re, si lubet, eximij cujusdam Poeta senten-  
tiam, qui non minus scitè quàm politè, in eundem sensum ita  
differit:

Si brevis



Si brevis & facilis Sophies ad culmina ducit  
 Semita: dic humili, cur omnia priscus in Asera  
 Vates longa refert? cur aspera & ardua primùm?  
 Dic cur Mæonides multâ & radice profundâ  
 Moly canit? dic quid sibi vult bene nota querella?  
 Vita brevis Coæ quasi sæcula disciplinæ?  
 Quid tria septa Cebes tabulâ describit, & arcem  
 Difficili adscensu prærupti in vertice montis?  
 Quidvé annos Samius, quinos indicit alumnis?  
 Quidvé aliorû operas celeres dum spectat Apelles,  
 Ad mediocre opus, inquit, op<sup>9</sup> mihi tēpore lōgo est?  
*O insignem ergò illorum audaciam! ô nefandum crimen! ô  
 scelus quovis cruciatu expiandum! qui ipsi cum sint teneri,  
 durum; cum sint infirmi, grave; cum sint infantes, virile opus  
 aggredi non erubescunt! Apud Romanum populum, cui nulla  
 gens par unquam fuit sapientiâ in sancendis legibus bonis,  
 malisq; coërcendis moribus severitate, militibus audacioribus,  
 qui nec animi, nec consilij satis habebant, ut vena solveretur,  
 morem fuisse, historicorum operâ & labore compertum habe-  
 mus. An potuit unquam lex excogitari peritiùs, ferri acutiùs,  
 teneri utiliùs? Nempe ea illis non tam pœna fuit, quàm medi-  
 cina, ut superfluâ sanguinis emissâ parte, se magis intra ratio-  
 nis gyrum continerent. Jam si me quis fortassis causam roget,  
 quomodo fiat, quod & hoc nostro tempore tam multi reperian-  
 tur audaculi graculi, & passim insuggestis & Cathedris audi-  
 antur, vix nominare veriore potero, quàm si dicam, fieri id-  
 ipsum quoq; abundantis sanguinis vitio, vitiosorûq; in intesti-  
 nis humorum detentorum copiâ, quibus nisi detur exitus, ut  
 illia rumpantur necesse sit. Et hac certè unica causa est, quòd  
 illos ventus ita inflat arrogantia, vanusq; persuasa eruditionis  
 humor*

D

humor



humor ipsorum cutem prurire tantoperè faciat, ut quiescere nullo modo possint. Quin ergò ad medicum tales etiam ablegamus? quin fricari cutem, pruritumq; sugari virgis fustibusq; jubemus? quin baculis tumidum superbia venam cadi, ut ebulliat virus, curamus? Rectè sic: Ite ad medicum temerarij juvenes, venam eidem castigandam præbete, & erit medicina, ite ad medicum temerarij juvenes.

Sed ut redeam, unde digressus fui, neminem puto adeò esse stupidum, quin mea verba, quid voluerint, hæcenus intellexerit. Ecquis verò tam impudens, tam rerum injustus estimator, ut omniũ autorum, maximè verò probatorum consensum improbet? Improbat nemo profectò, qui semet ipsum, suaq; cupit olim bonis viris probari. Ille verò, qui vento turgens vane scientiæ bonos præse contènit ridetq; autores, doctos culpatur, arguitq; inscitie viros, fideles non audit præceptores, ecquis ille erit tandem, ut nos ipsum audiamus, honoremus, in manibus aut sinu, quod dicitur, geramus? Faciet hercle ille, ut dum fidem tantis derogare viris, & obscurare splendorem clarissimorum luminum nititur, ipsi fides non tribuatur, omnisq; ejus jaceat autoritas suis ipsius tenebris obscurata. Quid multa? Contendunt omnes omnium sectarum Philosophi, clamant senes, præcipiunt eruditi vultu, sermone, scriptis, cultu quoq; ut juvenus primis sese annis intra modestiæ limites, parietesq; taciturnitatis contineat, non in hanc vel illam rem nimis suspiciosa scrupulos queritet, sed credula magistrorum dictis lectioni unicè ac sedulo attendat, acquiescat in ipsorum præceptis, nihil omninò tentet, antequam ipsa grandior facta, grandiosem sese in bonis literis artibusque profectum fecisse sentiat. Sic n. bene firmatam crescere demum; sic ad fructus ferendos idoneam reddi; imò fructus maturos ferre.

Lubens



Lubens hinc sciensq; Pythagoram doctissimum praeterea  
virum, idq; vel hac sola ratione impulsus, ne in causa propria,  
quod quidem malo jure fieri dicere possit quispiam, testis vi-  
deatur accersitus. Aristotelem loquentem, si lubet audire,  
in conspectu sistam vestro, cujus tanta semper fuit apud omnes  
etiam doctissimos auctoritas, ut omnium praestantissimorum  
Philosophorum dux & Coryphaeus unus ille nominatus sit.  
Qua ergo loquitur eruditus ille Philosophus? Quae, in-  
quit,  $\eta\sigma\sigma\chi\iota\alpha$  sapiens redditur animus, quod est, sedata de-  
mum ebullitione, & capillis canescentibus. Apulejus vero  
Platoniorum de grege quid ait etiam? Credere (vestras  
huc arripite aures adolescentes) credere, inquit, oportet di-  
scentem, non disputare. Amplum hic mihi campum dicen-  
di apertum video, si modo velim accuratius omnia persequi, &  
de singulis, qui huic nostrae favent sententiae, dicere auctori-  
bus. Sed ut nec ferme possibile factu est, ita nec opus esse cen-  
seo. Ecquis enim est ex illo Philosophorum grege, qui qui-  
dem de re qualibet recte senserunt, qui non hoc nobiscum sta-  
tuerit; qui non ad modestiam pueros, ad virtutis studium, ad  
taciturnitatem sedulo semper studio vocaverit? Quos singu-  
los, si ex Orco redire, & reviviscere posse mihi persuaderem,  
persuadere mihi facile possem etiam, quibus verbis sint no-  
stros temerarios & satis impudentes juvenes compellaturi.  
Sic enim locuturos esse arbitrarer: Quis vos morbus, ju-  
venes, exagitat? Quae scabies vexat, quiescere ut non  
possitis? Quae prurigo vos incitat, ut vos tanto conatu movea-  
tis? Quis clamor aut quae turba vos excitant, quo minus edor-  
mire illum pueritiae somnum queatis? Quis furor vos abripit,  
insanorum more ut tumultuetis? impossibilia tentetis? Quae  
Furia vos agitant, ut a vestro officio tanto conatu recedatis?



Que dementia tam miseris modis vestros incessit animos, ut nihil aliud agere possitis, quam Cathedram conscendere audacter, buccis plenis clamare enormiter, litigari turpiter? preceptoribus, alijsq; doctrinarum scientiarumq; luminibus oggannire impudenter? Non revera talibus nostri vivebant morati moribus olim discipuli. Ecquis hec vos magister docuit? Ecquis propinavit hostis illud vobis poculum, unde tantus extitit furor? Ne, quaso, in animu indueatis vobis, amore vestri, vestriq; commodi causa fieri, quin in perniciem potius vestram cedere existimetis. Quin ergo valere jubetis talem? quin fugitis? quin in exoticas barbarasq; regiones spargere illu sua venena doctrina sinitis? Vos autem, quibus studia vestra cura cordiq; sunt, aliud agite potius, quam ut vos ad ipsorum castra abripi sinatis, qui simul ac primis saltem labris artium bonaru degustarunt principia, statim meditantur in nido etiam instar Philomela, quomodo nugas vendere, tricas neetere, & vel preceptoribus, vel etiam doctioribus alijs in os aperte contradicere possint. Unde fit, ut pestilenti persuase sibi sapientia doctrineq; Austro inflati tandem non velint submittere sese doctiorum judicijs, imo cunctos pra sese ex sublimi despiciant, interim nec sapiant quicquam, neq; ut discant sapere allaborent. Vos ergo a nobis meliora edocti intra vestra functionis manete limites, ut discatis, non doceatis; obediat, non resistatis, taceatis, non disputetis. Hec illi erant locuturi fortasse, vel plura etiam in hunc sensum. Vestri vero, commilitones dilectissimi, muneris esse arbitror, ut ne ad horum veteranorum; imo Republice literarie principum ac ducum vocem aures obturetis, sed eos diligenter audiatis, studiosè sequamini. Nimirum hi sunt, qui norunt, quid distent a lupinis; hi sunt, qui usu magistro edocti, quae vestra etati arma conveniant, quomodo tra-

ctari,



Etari, quomodo usurpari debeant, rectè vobis monstrare possunt. Rectè jam ad portum contenderem, velaq; contraherè, nisi removendum mihi quoddam objectum ab adversarijs restaret obstaculum, non quòd ita magnum illud esse censeam, ut non facilè superari queat; sed ne habeant, in quo gloriari adversarij meritò queant, nobisq; insultare, qui hoc nibili telo tãquam magnà aliquà inventà machinà succumbere jam nos existimant, sibiq; victam dari manum postulant. Ecquid ergò illud? Manifestum est, inquiunt, ad eò necessaria esse juventuti exercitia, ut sale & sole mundus carere possit facilius, quàm sine illis hæc ad optatam studiorum metam pervenire. Quæcum ita sint, ut sunt quoq;, ecquis dicet Silentium Pythagoricū imitandum esse, quod exercitia tamen respuit omnia? Hoc est illud telum, hic aries ille, hæc illa machina, quæ mœnia adoriri nostra, si non satis fortiter, attamen satis audacter nituntur, quæ tamen stant firmiter adhuc, stabuntq; nostrà quidem sententiã omni jugiter ævo, nisi majorem vim deinceps sentiamus. Namq; tunc demum aliquid virium haberet istæ oratio, si de adultioribus sermo nobis esset, quibus linguarum artiumq; bonarum omnium fundamenta jam sunt jacta. Siquidem hos à Palæstrâ si arcere vellemus, haberent fortasse, in quo reprehendere nos meritò possent. Sed de illis nos loquimur, qui discere adhuc debent, qui jacere fundamenta debent prius, quàm ingentem laborum molem illam superstruere. His inquam Silentium præstandum est, his ab omni temeritate abstinendum est, his omnes declamationes, disputationes, & id genus exercitia cane pejus & angue fugienda sunt. Atq; ut concedere hoc illis maximè velimus, ut connivere & tacere non renuamus in hoc negotio, non possunt tamen, non possunt, inquam, tãto esse ferendo oneri, ut artem liberè quamlibet exerceant,



ercean, siquidem requisita desunt necessaria, desunt alae, quibus freti per immensum varia scientia Pontum volare possint. Quae tamen omnia, si juvenibus non deneganda putes, rogabo, num in tyrone perfectam artis cognitionem esse censeas? Negabis, nisi & tu nullam cognitionem habens artium. Atqui haec ad exercitia capessenda necessario requiritur. Rogabo num juvenis artis sibi habeat comparatum habitum? Negabis verelz. Constat enim luce solis clarius, non ibi artis esse habitum, ubi praecepta non sunt. Atqui an non hic est necessarius ad hanc rem? Rogabo; num iudicio valeat adolescens? Negabis & hoc procul dubio. Siquidem quomodo ad Metaphyces arcana pertinet? quomodo Physices occulta indagabit? Mathematicos subtilitates capiet puerile iudicium, si iudicium appellari licet? Atqui haec abesse, cum de iisdem disceptatur nullo modo debent. Multo minus vero eloquentiam prestare dices juvenem, quae tantum abest, ut sit in ipso, ut ne fundamenta quidem jecerit. Quid? quod nec discursu valeat, quippe ille ex scientia, sapientiaque fonte rivulus promanat. Ubi vero fons est, quomodo rivulus ibi extare potest? Haec cum ita sint, & abesse tamen ea nullo modo possint, te valere cum tua iubeamus sententiam, & ad Orcum mittemus te audacem audacibus spiritibus audacia stimulum. Namque nos si eò incitare & fallere conatus fueris, nihil effeceris, frustra laboraveris, laterem laveris, quippe tuos cauti incautos dolos nos novimus. Et jam pudeat te merito stultitia, peniteatque temeritatis, quod nos omnes tui similes, tuorumque amulos studiorum fore putasti. Me vero illorum miseret, qui hactenus incauti neglecta & rejecta doctissimorum virorum manu ductione non senserunt dolos, meritaque illaqueati plagis imprudentia temeritatisque poenas dederunt.

Sed



Sed desino, ne dum alios culpo, ipse culpandus amplius videri fortasse queam. Ita igitur sentio, adolescentes optimi, suavissimi, charissimi, hac mens mea, hac firma stat animo sententia, non stipites vos hucusque assedisse, sed quid à præstantissimo illo Philosopho Pythagorâ præceptum sit, quid ab alijs excellentissimis viris comprobatum, bene attendisse, melius percepisse, optimè intellexisse. Quid enim? docendum vobis esse adserunt? imò discendum. Disputandum esse dicunt? imò credendum. Perorandum vobis esse docent? imò tacendum, auscultandum, ab omni temeritatis genere sedulò abstinendum. O utinam præceptis exemplisq̃ tantorum virorum diligenter inhereretis! sedulò incumberetis! ab ijsdem ne latum unguem discederetis! Quod si adhuc fieret, condico, voveo, spondeo nunquam fore, ut vos hujus peniteat sententia, nec vestram vosmet prodatis instar soricis inscientiam. Imò solidos feretis eruditionis fructus & maturos, quibus & ipsi frui postmodò, quibusque prodesse Reipublicæ, servire Ecclesiæ in sempiternam vestri laudem, vestriq̃ generis eternam gloriam queatis. Quòd si his majora etiam cupitis, majora inde promitto vobis, si modò majora à quoquam expeti, vel etiam promitti debent aut possunt.

Quin ergò huc pleno cursu contenditis? quin temeritatis monstrum in tam arduo negotio vos præterire sinitis? quin artificum hæc in re consuetudinem, industriam, prudentiam vos flectere conceditis? Et ne sordidi cerdones cautius, quàm vos agere videantur, adlaboratis? O adolescentes! ne sitis in hoc uno negligentes, qui in cæteris estis diligentes: ne contemnatis id, quod vos tamen decet maximè; imò quod vobis conducit maximè. Serò sapiunt Phryges, proverbio dicitur. Ne igitur sic agite in primo ætatis flore, ut ejus vos in maturiori ætate pigere ac penitere queat.

En jam



Enjam vos moneo, vel monet potius ac precipit minimè fucatus ergò vos amor meus, vestriq; commodi promovendi studium, Silentium Pythagoricum ut ne negligatis; sed ut discipulorum Pythagoricorum exemplum secuti quinquennium, imò sexennium, imò decennium taceatis, antequam tentetis arduum ullà in re quicquam, aut incipiat. Quod unicum si à vobis non tam precipiendi, quàm precandi jure obtinero, erit, in quo vestram cognoscam erga me benevolentiam, laudem, in studijs continuandis & absolvendis diligentiam. Quid multa? Felices vos eritis, felices Cathedra, felicia suggesta, nec infelicioꝝ ego quoq; , qui quidem à vobis laud invitis, qua volui omnia, sum consecutus.

D I X I !

**R**hetoris & profunt Prætori munera, SCHULTZI  
Commiles, cordis portio magna mei.  
Id modò quod studio tentas, tibi proderit olim,  
Seu dabis ipse foro commoda, sive choro.  
Prætoris poteris sic nomen & omen habere:  
Non igitur cursum siste, age amice, precor.

*Φιλίας ἕνεκα* adjiciebat

ANDREAS WOLFFIUS Elricensis.

**T**utores, SCHULTETE, tuo nunc asserere flori;  
Et libros Suadæ volve revolve sacræ.  
Victor eris tandem, doctiq; merebere nomen,  
En! festina tibi hæc digna brabeja parat.

*Suo amico & conterraneo*

PETRUS ALBERTI Elricensis.



NOBILISSIMORUM AC STRENUISSIMORUM  
FRATRUM PARI

HENRIC-IOHAN-ALBERTO

ET

IVSTO-ERICO

A WESTERNHAGEN, IN BERLINGERODA  
ET BLECKENRODA HÆREDITARIIS.

*VIRO ITEM*

*AMPLISSIMO, CLARISSIMO*

DN. GEORG. ANDREÆ *Ælig*

LIB. IMPER. REIPUBL. MULHUSINÆ  
SENATORI, CENSORI, SECRETARIO

DIGN.<sup>mo</sup> GRAVISS.<sup>mo</sup> MERIT.<sup>mo</sup>

UNIVERSIM

*DOMINIS, MECOENATIBUS, PATRONIS*

*OPTIMIS PRÆSTANTISSIMIS;*

*HVIC ETIAM HOSPITI*

*BENIGNISSIMO*

*SUBSEQVENS HOC*

*STUDII ORATORII*

*SPECIMEN*

L. M. Q.

VOVET, CONSECRAT, OFFERT

JOHANNES Schneider

G. M. A.

E

ORA-



Σὺν Θεῷ καὶ τῷ  
ORATIO SECUNDA.

Scripta & habita

à

JOHANNE SCHNEIDERO KERSTLINGE-  
RODENSIS SAXONE.

**C**um dicendi facultatem, Magnifici, Reverendi, Con-  
sultissimi, Clarissimi, Doctissimi Viri, & tu studiosa,  
Musisq; dicata juvenus lectissima, cum dicendi, in-  
quam, facultatem & mihi nunc concessam videam,  
mearum partium & officij esse arbitror, ut quid hac de re seu  
controversia animò conceperim, protinus & ipse proloquar.  
Quin verò sic prolata modo antecessoris mei sententia mihi ex  
adverso aliquantulum respondere, & juvenili pro conamine  
contradicere liceat, veritatis presidio & subsidio nixus, nullus  
equidem dubito. Nam mentem meam statim ut explicem,  
nec Amplitudinem & Præstantiam vestram justò longius &  
diutius suspensam teneam, ita comparatum esse inter homines  
videmus, ut que maximè vituperare deberent, ea sæpè laudare  
satis non possint. Trahit nimirum sic sua quemq; voluptas;  
& id cuiq; verum est, quod cuiq; videtur. Hinc que quis se-  
mel adamavit, ea laudat, ea magnifica putat, contraria verò  
vituperat. Exemplum quod longius petamus non est, si mo-  
dò altiùs ea repetamus, que ab antecessore meo de Silentio Py-  
thagorico introducendò & strictè observandò pluribus dicta  
inq; medium adducta fuerunt. Certè & hoc inter alia suo ex-  
emplo probatum dedit, & deformem quandoq; buccam suos  
basiatores invenire, resq; insuper bumiles & viles, despectas  
& ab-



Et abjectas suos nonnunquam patronos ac defensores habere.  
Dum enim in sinistrum sensum detortum illud Silentium mire  
laudare conatus est, quis non jure admiretur, homines ejus-  
modi reperiri, qui rem absurdam Et studiosa juventuti noxi-  
am, non solum audeant amare, sed Et eandem commendare  
Et vel doctissimis viris verborum lenocinijs persuadere non  
dubitent? Atqui cum ita homines cogitationibus suis permo-  
veantur, eoque trabantur, ut judicio saepe haud ullo utantur, mi-  
rum non est, si quandoque rejiciantur Et explodantur illorum  
sententia. Et licet ego invitus alias a commilitonis senten-  
tia recedam; tamen subscribere huic opinioni minimè possum:  
quippe cum pro veritate tuenda Et amicorum rationes destru-  
enda sint, nec recedere ab illis religio sit, si vel veritas vel recta  
ratio ab illis recedat. Non autem hoc ita velim accipiatis,  
quasi ego, qui

edita doctrinae sapientum templa serena,  
vix ac ne vix quidem à limine salutavi, nedum ambitus ipsos  
perlustravi, eximiū illū Philosophum Pythagoram, cujus tanta  
fuit admiratio, ut ex domo ejus discipuli templum fecerint,  
eumque instar numinis coluerint, corrigere, in ordinem redige-  
re, absurdūque alicujus judicij accusare velim; absit!

----- Hæc faciat qui se putat esse Solonem  
DIs genitum, doctos qui se super erigit omnes,  
adsuetus cunctis nigrum præfigere theta.

Neque tamen Et hoc velim existimetis, me pramaturō quōdam  
Cilautiac stimulo adductum Et immaturō contradicendi Et  
rixandi studio cōperductum, ut commilitoni contrariari Et  
oggannire in delicijs summis ponam: non ita,  
non ea vis animo, nec tanta elatio nobis,  
----- nec captis tanta est audacia nostris.



Verum hic animi mei scopus, hac oratiuncula meta est, ut laudatissima & utilissima Scholarum, & imprimis recens constituti & jam efflorescentis Gymnasij nostri exercitia, Tagi arenulis certè nobiliora, defendam, adeoque pro virili, ingenio licet vili demonstrarem, non præter rem aut decorum fieri, si adulescentes maturè prodeant, disputando & declamando sese exerceant, virisq; præstantissimis maturius sese ostentare consuecant. Hunc igitur scopum meum promptius ut attingam, si quid in me ingenij vocisq;, omne illud lubens hinc impendam & oratiunculà hanc meà deinceps ostendam; Silentium Pythagoricum disputationum ac declamationum exercitia minimè tollere. At dum imparatus arduam hanc molem humeris impono, utinam aut Ciceronis verborum flumine & lumine pollerem, aut Demosthenis alacritate uti valerem, adeoque convenientibus Rhetorum coloribus omnia exornare & exprimere possem! Sed vanà spe, votoq; inani feror! Vestrum igitur, Auditores, erit, infantiam & imbecillitatem hanc meam eò majore ardore & favore, sublevare, vestraq; illà augustà presentiâ, & vultus claritate conatus meos animare. Sed cum nefas sit de vestrà benevolentia omnino dubitare, utar hanc apud vos libertate, ut quid animò conceperim, promere hinc protinus non reformidem.

Pythagoricum ergò Silentium quod attinet gravem quidem hujus disceptationis difficultatem esse sentio, ut non immeritò aliorum Atlantum humeros requirere videatur; atamen si rem altiori mentis indagine scrutemur, justà rationis trutinà examinemus rectaque viâ nobiscum reputemus, Silentium illud non declamationes & disputationes tollere, nec ejusmodi exercitia jugulare; sed mediocritatem, virtutem  
nempe



nempe ipsam quæ in mediocritate rectâ ratione definitâ semper posita est, discipulis inculcare, adeoque vitia, à mediocritate & rectâ ratione nunquam non dissidentia avertuncare videtur: videtur autem? imò planissimè avertuncat, & quod assero, virtutem adolescentum animis inculcat, castamq; quasi virginem connubio stabili ipsam jungit.

Cùm enim Samius ille Philosophus eximius observatione & experientiâ crebrâ usq; verò & egregiò magistrò edoctus cognovisset, facile ingenia adolescentum à rectâ honestaq; disciplina ad vitia delabi, imò juventutem temerariam & ad pejus pronam, medium non tenere; sed quandoq; ultrâ quàm vires permittunt evolare & modestiæ limites transilire, ideoq; consulere rectius ipsis voluit, ne discipuli ante justam aetatem doctrinaq; maturitatem, magnifici Rhetorum currus illius regendi amore accensi, proprio ausu rem aggredierentur, more Phaëthontis ignotum iter peterent, tandemq; sic in immenso exercitiorum istorum pelago seipsos submergerent. Hinc ergò aliquandiu ipsos tacere & acquiescere voluit; non tamen ita tacere, ut prorsus muti & surdi efficerentur; nec ita acquiescere & perseverare, ut, quemadmodum Antistheni cum Diogene accidit, clavâ illos abigere preceptores cogerebantur; sed ut optimis præceptionibus doctiores redditi, è ludo litterario & umbratilibus Scholæ exercitijs aliquando revocati, suos progressus declamationibus ac disputationibus alijs referrent; sicquè tempestivè loquerentur, & nihilò secius tamen præsentibus viris politioribus hoc sibi à præceptore præceptum latum datumq; cogitarent:

----- digito compesce labellum.

E 3

Et sanè



Et sanè exploremus Taciturnitatis virtutis illius, quæ medio-  
critatem in cobibendo sermonis usu servat, iudicium & sen-  
tentiam. Ut enim nec hæc omnem conversationem & ser-  
monem prohibet, sed remoto intempestivo & serium & joco-  
sum, comitate & urbanitate conditum, facile admittit: ita  
nec Pythagoricum silentium omnem conversationem, omnem-  
quæ facultatem junioribus adimit, sed illam tantum loquelam  
prohibet, quæ scopum præterit, modum excedit, & cum temeri-  
tate, immodesti quædam est conjuncta. Hinc enim constat  
unà cum Pythagorâ cunctos Sapientes discipulis suis modesti-  
am, quæ continens in animo moderatio cupiditatum appella-  
tur, maximè semper commendasse. Sic Isocrates ad Demoni-  
cum, putes, inquit, te imprimis decere modestiam, pudorem,  
justiciam, temperantiam: quandoquidem istis, omnibus ado-  
lescentum probitas continetur. Et Bias, compara, inquit,  
in adolescentiâ modestiam; in senectute verò sapientiam.  
Eodem fine Zeno ille adolescentem quendam curiosius quid-  
dam, quàm ætas ferret, sciscitantem ad speculum adduxit, seq̃  
ut ipse contemplaretur admonuit, rogans, num videretur tali  
vultui convenire quæstiones ejusmodi proponere? Hoc ferè  
modo & Agesilaus Megarensi cuidam juveniliter de suâ civi-  
tate multa adversus ipsum jactitanti, adolescens, inquit, tui  
sermones opus habent magnis viribus; significans immodestè  
& indecenter eum magnificè loqui, cui vires non suppetant o-  
rationi pares. Sed quid in peregrinis me longius hic diffun-  
do? videamus ipsum Pythagoram: Is modestiæ amore non  
οφὸς; sed φιλόσοφος tantum dici voluit. Cui equidem  
Pythagora, si revocare gradum, superasquæ evadere ad auras  
liceret, quem si Poëtarum ille portitor Orci infernali è sede ad  
nos huc reducem dimitteret; nullus omninò dubito quin com-  
militoni-



militonibus meis, imò & antagonista, ist hoc vel simili sermone ipse loqueretur: Non ita, non ita juvenes, non vos è Cathedra deturbare, non os penitus vobis occludere volui: Absit. Et tunc audes, hominum impudentissime, me meumque institutum, istum ad modum traducere, & in alienum, à mente meà peregrinum, sensum detorquere? Apage! Et amplius quid querar? Et te etiam, Philosophorum turba, prisca reliquit eruditio? nonnè datur qui praeceptum hoc meum ritè explicet, quiq; defendat? baud forsant tanta tibi ingenij linguaq; facultas, nec veterum insuper sophorum in te amor residet. Vos verò artium liberalium studiosi fidem huic minimè habete, cane & angue pejus fugite, vobisq; ab ejus phaleratis dictis cavete; hoc potius agite, ut capistis, cum exercitijs vestris diligentiam, & modestiam ceterasq; virtutes conjungite, praeceptoribus rectè docentibus fidem adhibete, & deniq; quod Cicero vos docuit, doctrinam ex umbraculis Scholasticis otioq; in solem & pulverem, imò & ipsum discrimen aciemq; producite. Sic ille, auditores, poterat, neq; nos honestum quicquam excusaret, si videlicet nos justa culpa opprobria tangerent. Sed reponere quidni liceat? Quiescas mi Pythagora, erratum est, immeriti sumus: Silentium enim non abolemus sanctum, non jugulamus praeceptum tuum; mediocritatem volumus, hanc colimus, hanc praecipimus. Ne igitur degeneres nostrates, Philosophos, nostrosve praeceptores & antecessores putes, nequè illos amplius incuses.

Et quàm quaso ratione praeceptum hoc Pythagoricum exercitia Scholastica utilia tollere, quomodo ea prohibere possit? Quin potius ad continuam diligentiam & in studijs perseverantiam discipulos incitat & invitat. Planissimè enim videtur Pythagoras pleraq; discentium vitia, quae cum diligentia & perseverantia



severa antiâ illâ extremè pugnant, tollere, ipsâq; sublatis virtu-  
tes substituere, & juventutis commodis sic melius consulere  
voluisse. Cum itaq; videret, adolescentes ob virium imbe-  
cillitatem judicijq; immaturitatem, vel ab aurâ levissimâ huc  
illuc instar novitiorum & gracilium surculorum impelli, huic  
ipsorû inconstantia hâc ipso occurrere, & ipsos à levitatis ven-  
to actos ad tempus quieti tradere voluit, quò ea qua trad-  
rentur citius percipere, imis sensibus reponere, & sic radices  
eruditionis agere valerent. Elapso autem hoc sive quinquennio  
sive triennio omnia facilia, imò & gratiora & jucundiora  
fore, juxta tritum illud:

Lectio lecta placet, decies repetita placebit.  
Quidni & audacia discipulorum ipsum resistere voluisse asse-  
ramus? Acutus enim Philosophus, cernens plerosq; ad studio-  
rum finem, maturius quam fas esset, festinare, eundemquè ta-  
men per aetatem perq; judicij imbecillitatem attingere non-  
dum posse, quandoquidem sine certis verisq; præceptis ejusmo-  
di inchoare & tentare, verè sine pennis volare esset, ideoq; &  
commonere & commovere voluit, quinquennium saltem, si  
non longius, perseverarent, antequam altiora molirentur; in-  
terim verò ita se prepararent, ut in Scholastico pulvere edo-  
cti commodius aliquando, in choro forevè, serias actiones ag-  
grederentur, sicquè negotia sua facilius & felicius tracta-  
rent, juxta illud: sat citò, si sat benè. Crebras Scholarum  
& Præceptorum mutationes ipsum nec ferre nec probare po-  
tuisse satis hinc isidem constare potest. Sed quid si nostro hoc  
tempore, si hac mundi fece Tanarÿs è faucibus regredi, lucis-  
què hujus aurâ aliquandiu nobiscum frui copia daretur, dice-  
rem certè, O Pythagora, te illos hoc præcepto admonere &  
tuo incepto detinere voluisse, qui Scholas aurâsq; subindè mu-  
tant,



tant, qui Praeceptores in ordinem redigunt; nunc haec nunc illa  
discere volunt, alia contra nolunt. Inceptio, me Christe, amen-  
tium, studiorum haud amantium est. Et nunquid hos ipsos  
sic videaris alloqui? O stultos! qui de loco in locum cursita-  
tis, novos Praeceptores novasq; Scholas, & nunc haec nunc illa  
Lycea subinde visitatis, climata terrarum singula, ventris po-  
tissimum causa, pervagamini; praecpta interim vera nulla  
discitis, Praeceptores constanter nullos auditis. Certè videmi-  
ni mihi tales per am humeris injicere & eruditionem, ut men-  
dici panem, ostiatim hinc inde querere velle. Sed ut absur-  
dum est, cum hortum domi habeas, omnium florum, herbarum,  
fructuumq; proventu exuberantem, omnia interim terrarum  
loca peragrarè, ut inde, cujus tibi domi copia fieri potest, ap-  
portes: ita dementia propemodum est, anxie plurimis in Scho-  
lis anquirere, quod unius doctissimi Praeceptoris instructione  
acquirere possis. Et, ô fortunatos discipulos, quibus in talis  
Schola amplexu politam & publicam Clarissimorum Prae-  
ceptorum vocem audire datur! O felices istos, qui quidem in  
has dentur & mittantur Nympharum domus! Summis enim  
formis sorores, unanimi vinculo junctas semper videbunt, col-  
loquentur, aderunt unà in unis adibus, cibum capient cum ijs,  
imò & pernoctabunt cū iisdem propterq; dormient. Illarū ergo  
pbiltro potius inebriamini, illarum amore constanter tenemi-  
ni, integrum etiam per quinquennium perseverantes. Sic,  
sic melius omninò studijs vestris consulere, sic Nympharum ista-  
rum castitatem & pudicitiam imò & amorem servare, sic  
Scholarum dignitatem augere, Praeceptorum diligentiam &  
autoritatem ornare, rursusquè ab illis eorumq; institutione  
exornari poteritis. Sic ille diceret. Quid? Immaturas ad  
Academias profectioes, si nostris temporibus reservatus fuis-

F

ses Py-



ses Pythagora, approbares? vix, imò haud dubiè & bis, qui nimis citò ad publica illa Lycea aspirant, indignans Silentium illud tuum opponeres sicq; hos acclamares; O stulti adolescentes quotquot majoribus istis inhiatis, fundamentis tamen, quibus omne eruditionis illius regium palatium superstruitur, nondum majori ex parte jactis! Quae enim dementia tandem est, cum unà laudatà in Scholà studia vestra feliciter continuare possitis, illud turpi inertia judicijq; egestate negligatis & contemnatis? Turpe certè, imò & perditæ & infelicis opera est, magnos sumtus decoquere & tamen vel parum vel nihil eruditionis sibi comparare. Hoc potius agite, adolescentes & juvenes, quinquennium in Scholis & Gymnasijs artium studia tractate, eruditionis altioris fundamenta immota & tuta ponite. Et sicut infans unò primum ac convenienti lacte nutritur, puer verò variò cibo deinde alitur: sic & vos unius ductoris doctorisque doctrinam & praecepta velut optimæ nutricis lac imbibite; & deinceps alias haud deterius notæ antecessorum instructiones jam adultiores admittite. Hòc modò, hanc vià melius omninò de vobis actum fuerit. Et sanè huc credo respexisse, & hoc puto viros summos intendisse, qui ad altiores gradus aspirantibus integrum quinquennium studijs indefessè insumendum decernunt, antequam ad summos summarum Facultatum honores admittantur. Quae cum ita sint, ampliusnè in eà erimus sententia, aut statuemus, quod ad continuam in studijs diligentiam & perseverantiam adhortatur, idem utilissimas disputationes prohibere, laudatissimasque declamationes proscribere? Imò sanus quilibet mecum potius dixerit, ad hujusmodi ritè citòque incipienda instigare & per integrum quinquennium ad exercitiorum ipsorum continuationem incitare.

Scd



Sed ne quis existimet vel objiciat, me hoc velle, quasi ab his ipsis exercitijs incipiendum, primaque studiorum exordia hinc capienda sint: cum tamen, antequam suscipiantur, multum in litteris desudandum & quinquennium, potius expectandum sit. Dico omnino, non quinquennium modo; sed & sexennium; non sexennium solum; sed & septennium, vel amplius, si res ita postulet, antequam suscipiantur expectandum esse: Quod quidem & in nostris Scholis frequenter, imò semper fit; ubi discipuli per multos annos in generalibus & instrumentalibus, ut vocant, artibus detinentur.

Et quidem principio detinentur in bene loquendi illa arte, que ceterarum artium, janua clavisque nominatur. Hec illa benigna nutrix est, que nisi rudes puerorum animos lactaverit, opemque disciplinis suam contulerit, aut omnino ipsa non percipientur, aut squalida omnique lepore spoliata jacebunt, que nisi ceteris fundamenti loco sit, omnes miserè, corruent. Instruuntur & in rationis illa & bene differendi arte, que unica rationis penuriam resarcit, queque non verborum ornamenta jaculat; sed argumentorum momenta ponderat.

Hec rationem nobilissimum DEI donum informat, adeoque hominem verè hominem facit, eumque ab humili abjectoque reliquorum animantium contubernio discriminat. Deducuntur denique ad dicendi illam artem cognoscendam, que fulmina & flumina orationis donat, que obstinatos adversariorum animos expugnat, piorum mentes eloquij suavitate delinit & erigit. Et tandem, compendio ut dicam multaque comprehendam, omnes artes, ut maximè tyronibus sunt necessaria; ita fideliter ipsis inculcantur, antequam ad exercitia illa admittantur.



Quis imò inter ipsam exercitiorum tractationem non solum in generalibus illis sed & ceteris artibus & sic totius Encyclopaedia partibus informantur & instruuntur.

Quicquid tandem sit, Auditores, nullum recte rationis adeò expertem tamq̃ inertem puto, quin videat statuatque Silentium hoc Pythagoricum non omnem sermonem prohibere, nec omnem  $\sigma\upsilon\mu\phi\iota\lambda\omicron\lambda\omicron\gamma\iota\alpha\iota$  tollere, vel prorsus mutos adolescentes reddere. Absit enim ut de Pythagora tali tantoque virò ejusmodi absurda dicamus. Et licet Taciturnitas velit, adolescentem imprimis modestia fines transgredi non deceat: certum tamen est, & si quid certò certius, cuius discipulo & adolescenti ad Praeceptoris vel alterius cujusvis interrogata respondendum, eademq̃ ritè explananda esse. Num verò credis & Pythagoræ illius discipulos sic prorsus mutos fuisse, ut citius clavã ex Herculis manibus extorseris aquamvè è pumice prius elicueris, quam vel verbulum ex illis excusseris & expresseris? Vix concedo: imò & quandoq̃ illos cum alijs sermonem contulisse planè vel exinde constat, quod locò principiorum Praeceptoris autoritatem habuerint, & interroganti, objicientivè questionem aliquam nihil aliud quam  $\alpha\upsilon\tau\omicron\varsigma$  è  $\Phi\alpha$  suum responderint, nullisq̃ unquam alijs rationibus quam Praeceptoris autoritate certarint & sua stabiliverint. Nonnè hinc illos cum alijs sermones contulisse; nonnè quandoq̃ differuisse colligere licet? Ne igitur in defectu Taciturnitatis peccent discipuli, sed auream illam sermonis mediocritatem servant, hanc ament & amplectantur, sibi que cura & cordi esse patiantur: scilicet,

Proximus ille DEO qui scit ratione tacere.  
Ut de suo sapiens ille Eubnicus hoc mihi largiatur: aliàs certè & qui deficiunt & qui excedunt aequè peccant. Si verò Praeceptoris



ceptori adolescens interrogatus prorsus non responderet, sed  
præter modum rectamque rationem taceret illa etiam qua ma-  
ximè proferre decebat, quis non infantem illum, quis extremè  
vitiosum non diceret? imò quis stolidum & insipidum vivum-  
què cadaver ipsum non insigniret? Imitaretur insuper hòc  
suò Silentio non Pythagoram, sed Diogenem illum qui perpetu-  
um Silentium servavit, quiq; in tenebris latitare & obscure  
vivere in delicijs habuit. Imitaretur maximè Monacho-  
rum quorundam, Eremitarum & ejusmodi insectorum sectam,  
qui perpetuum Silentium servare, Tacitaq; & Muta inde-  
fesse litare vovent & spondent; adeò, ut præ fictitio factitioquè  
suo Silentio ne quidè ad interrogata respondere, nec salutare al-  
ter alterum, fermè audeat. Quæ omnia, Auditores, ut con-  
tra ipsam naturam sunt, ita & contra bonos mores, absurdaq;  
planè existere necessum est: quandoquidem appetitus So-  
cietatis collationisq; natura vim ac impulsum sequitur: ut  
hinc benè princeps ille Philosophorum dixerit ἀνθρώπος φύσει  
πολιτικὸν ζῷον: homo est civile animal naturâ: idquè magis  
quàm omnes apes & quàm omne gregarium animal. Quare  
& ratio & loquela in homine non nuda vocis symbola sunt, sed  
maximè communis usus, & quarum, ut Latinatis cultor &  
ultor Cicero inquit, nullus extra societatem usus est. Falsum  
itaq; est, Pythagoricum Silentium illud omnem sermonem o-  
mnemq; collationis facultatem prohibere & tollere: quam  
quidem si tolleret, sanè nec interrogantibus respondendum es-  
set; quod tamen quàm absurdum sit, quantūq; Ethicæ virtuti,  
omni rectæ rationi, ipsiq; rerum omnium communi matri natu-  
ræ adversetur, adversarius ipse viderit.

Ad portum, Auditores, fluctuantem cymbam meam ap-  
pellerem, nisi quosdā hīc mibi oggannituros ariolarer. Quid



verò arioler? cūm hoc in conventu jam factum esse omnes cognoveritis. Et poterunt certè, imò & potuerunt aliquid. Sed cedò firma illorum, si dijs placet, argumenta. Si ritè audita recordor, sanè primum erat: Non loquendum juvenibus esse, sed tantum discendum. Ast sit ita, non loquantur: os igitur ipsis obturetur, lingua pracidatur, & si quid etiam dentes sermonem promovent, ipsis excutiantur: dolium Diogenis debinc, in quo quidem tu illos abscondere queas, reedificare proximum erit, ut sic omnem ipsis conversationem & loquelam intercludere possis.

Sed, inquis, perfectos demum ex umbratili institutione in exercitiorum solem educendos; hisq; solis ejusmodi imponenda; hos tantum in declamationum & disputationum arenam dimittendos esse. Ast quando perfecti amabò erunt? An perfectos nasci putas? non credo. Perfecti igitur ut fiant, opus exercitatione esse judico. Quid enim aliud perfectio, quàm habitus? quid habitus? qualitas: sed anne congenita? baud certè concedes. Acquisitam ergò esse relinquitur, quæ à naturà insita minimè est, sed exercitatione crebrisq;, ut Philosophi judicarunt, actionibus tantum comparatur. Exercitatio nimirum egregia illa magistra est, quæ omnium doctorum præcepta superat, quæq; uni rei assiduè dedita & ingenium & artem plerumq; vincit. Quare exercendum ingenium, faciendumq; periculum est. Sciscitantes enim, sed & tentantes, ad Trojam, quod dicitur, pervenère Græci.

Exemplum artificum aliorum non est quod hic nobis opponas, quòd scilicet quietem isti suis præcipiant discipulis, antequam ipsum opus aggrediantur & aliquod specimen edant.

Præci-



Præcipimus enim & nos, imò præcipit necessitas. Nec adeò dementes nos putes, ut vel pueris ab utero matris adhuc rubentibus eloquentiam induendam esse statuamus. Cum enim rudes nascantur, certè omnibus primùm discendum perq̃ tempus aliquod expectandum est. Quid ergò vis amplius? discant utiquè; imò discunt: Sed ne interim tamen mediocriter edocti exercitia omninò negligant. Ut enim Latinitatis præsul & consul Cicero ait: Subeundus utiq̃ usus omnium & periclitanda ingenij vires sunt. Nec enim Sartor aut Sutor otiosum prorsus discipulum vult esse, sed manus operi applicare viresquè statim ab initio periclitari jubet. Et Sutor quidem discipulum suum protinus fila ad consuecendos calceos apta è lino ducere & parare, calceum modulo adaptare partesquè corij disjectas consuere docet. Quod omnes itidem faciunt artifices, ut statim unà cum institutione operari discipulis injungant. Idem & hic fiat, non discant solùm adolescentes Grammaticam, Logicam, Rhetoricamq̃; sed etiam Grammaticè, Logicè & Rhetoricè assuescant operari; quod nisi fiat & assidue manus operibus ipsis non admoveantur, fieri non potest, quin studia præclare aliàs inchoata, non planè aut egre sanè absolvantur adquè optatum finem perducantur.

Difficilem verò & arduam ad artes nobiliores viam existere ex te audio: Rectè dicis; ardua utique & aspera via est. Sic nimirum DEUS omnia sua bona & dona labore sudoreq̃ vendit. Et sic quidem in universa hęc naturà comparatum esse videmus. Armatur enim idèò & spina rosam, ne videlicet eam quitibet decerpere ejusquè odoris suavitate frui possit, quin prius aculeos & spinas senserit. Sed quid, queso, hęc ac nos?

Imò



Imò pro nobis faciunt; quia enim ardua & aspera via est, ideoq; à teneris tentandam esse dicimus, ne opus si omnem vitam speculando consumere tandemq; magnò cum temporis tum aris impendiò consensescere; Et sanè

----- à teneris asvescere multum est,

----- paulatim & longiùs itur:

Imò & planè:

Est aliquò prodire tenus, si non datur ultra.

Sed mitto hæc, & ad illud, quò deniq; affertur, omnes hic sapientes consentire Silentiumquè illud Pythagoricum discipulis servandum præcipere, leviter tamen & breviter perstringendum pergo. Esto autem, præcipiunt; sed quale Silentium? Oedipo certè conjectore hic minimè opus est, sed cuilibet obvium esse censeo. An putas unà cum Apulejo Aristotelem eò absurditatis devenisse, ut juvenibus in seram etiam usq; ætatem prorsùs tacendum esse senserint? Apage. Animam sedatè fieri sapientem, Aristoteles statuit; applaudimus: Discipulum credere, non temerarium esse vult Apulejus; concedimus: Attentionem & credulitatem imperant, modestiam & perseverantiam præcipiunt; probamus: & hæc singula tyronibus convenire; haud abnegamus. Tantum igitur abest, ut à Silentio hoc juventutem avocemus, ut ad illud potiùs invitemus & instigemus. Interim faceffant omnes illi, qui & hoc nomine nostra exercitia suspecta reddere, imò & prorsùs jugulare conantur & moliuntur.

Sed quid dicam amplius, Auditores? rem, ut spero, ad umbilicum duxi, onusquè humeris quanquam imparibus impositum, ad meam detuli. Omnem igitur hujus rei sermonem abrumpendo, patientiam & favorem vestrum, Rhetorum

rum



rum illustrium consuetudine istâ, longâ repetitione & novâ quasi oratione minimè remorabor veletiam defatigabo. Quid enim longiùs repetere hic velim, quàm Silentium illud Pythagoricum exercitia Scholastica non prohibere? quod, ut confido, jam percipistis. Quid vestris oculis auribusq; rursus offeram, quàm quod audivistis, Silentium scilicet hoc mediocritatis esse, vitia & excessus extirpare? Quid optem deniq; vobis persuadere, quàm quod ipsimet intelligitis, Silentium illud ad continuam studiorum diligentiam & perseverantiam incitare; discipulorum inconstantia & audacia resistere, nec omnem  $\sigma\upsilon\mu\phi\iota\lambda\omicron\lambda\omicron\gamma\iota\alpha\sigma$  tollere, multò verò minus immorigeros Praceptoribus discipulos reddere debere? Quibus levi stylo, breviquè filo omnibus deductis, dum Amplitudinis & Præstantiæ vestre favor calculum polliceri jamdum videtur; audacter Antagonista meo alijsq; sic obloqui possim: Absurdus, absurdus es, quisquis Silentium hoc Pythagoricum ultrâ quàm fas est extendis. Non exercitia Scholastica illud tollit; non os adolescentibus obturat; diligentiam & perseverantiam præcipit, mediocritatem ipsam vult;

----- medium tenuère beati!

Vos igitur suavissimi rivales, quibus omnibus eadem, mecum castissima amica sunt, vos, inquam, commilitones prospicite, ne quisquam ab honestissimo instituto vestro verborum lenocinijs vos retrahat.

Pergite potiùs in exercitijs vestris; pergite inquam, nec vos subsannationes cujusquam remorari finite. Sed tamen ita omninò agite, ut intrâ debitos diligentia & obedientia cancellos, modestiæ fines, aliarumquè virtutum limites vos maximè contineatis, nec vel latum unquam ab omnibus

G

bisce



*hiscē recedatis. Et, Epiphonematis loco quod addo, iterum,  
atq; iterum providete; ne vitam (tum juventutis, tum  
senectutis) veluti pecora silentiō tran-  
sigatis.*

D I X I !

**Q** Væ statuit Samius, dum tu SCHNEIDERE tueris,  
Inde probas sapiens quæ probat ipse chorus.  
Fac modò sic pergas verâ ratione tueri  
Vera, tibi palmam grata Minerva dabit.

*Adponebat*

*CHRISTOPH. URBACH. MULHUSIN.*

**P** Anthoides traheret si auras, te nunc celebraret,  
Qui sic explanes dogmata ritè sua:  
Declamando etiam pergas, suavissime JANE;  
Ne muti pisces simus & Harpocrates.

*F.*

*CHRISTIANUS GENENCHEN Querffur-  
tensis Saxo.*

**S**ic Cathedram, SCHNEIDERE, colens conscendere  
perge,  
Perge modò, hinc verus surget & amplius honos.  
Illinit annè tuis Suada aurea mella labellis?  
Pisces sic absint! accipe, vive, sat est.

*F.*

*JOAN. HOLSTEIN Greussenâs Tyrigetæ.*



ANTIQUA GENERIS PROSAPIA,  
VIRTUTUM HEROICARUM PRÆSTANTIA  
NOBILISSIMIS VIRIS,  
WILLICONI A WINTZIN-  
GERODA HANS. F. IN ADELSBORN.

UT ET  
HEINRICO A WINTZINGE-  
RODA IN BODENSTEIN Hæreditario.

NEC NON  
VIRO SPECTABILI INTEGERRIMOq̄  
DN. VALENTINO DEHMA-  
RO, CIVI AC NEGOTIATORI APUD  
MULHUSINOS PRÆCIPUO.

ILLIS PATRONIS, MECOENATIBUS,  
PROMOTORIBUS,

Huic  
DN. HOSPITI AC FAVORI SUO PERPE-  
TUM HONORANDO COLENDO,

EXIGUUM HOC  
ORATORII STUDII PRÆMETIUM,

IN  
Debita subjectionis & gratitudinis signum.

D. D.  
JOACH. BLÆSING WEHNDENS.  
SAXO.

SUmite Patroni, quantum est, studijsq̄ favete.  
Promitto: Fructus post ita major erit.

G 2

ORA-



Σὺν Θεῷ καὶ πατρὶ.

# ORATIO TERTIA.

Scripta & habita

à

JOACHIMO BLÆSINGIO WËHNDENSI  
SAXONE.

**Q**ua singula, Viri Magnificâ autoritate, Reverendâ pietate, Amplissimâ gravitate, Consultissimâ dignitate, Clarissimâ doctrinæ ubertate, & augustissimâ humanitate conspicui, Domini Mæcenates, Praeceptores, Promotores, Fautores nullo non officiorum genere colendi, tuq; optima juventutis Studiose corona, commilitones amantissimi, quæ singula, inquam, aliàs in præcipuo aliquo cætu assurgenti, & coram viris eruditione amplissimis dicenti, occurrere possunt, ea mihi in augustam vestram faciem prodeunti & verba facere conanti omnia adesse, meq; à dicendo penè deterrere comperior. Si enim oculos hinc inde conjicio & audientium dignitatem conspicio, est certè ea eminentissima; si contemplor Orationis materiam, est gravissima; si intueor dicendi in me facultatem, est tenuissima. Singula ergò mihi in Rhetorum viretis inexperto, nullis ingenioli dotibus ornato, terrorem incutiunt maximum, cum neq; eruditione, neq; ætate, neq; eloquentiæ machinis ita sim instructus, ut quicquam expectatione vestrà dignum producere valeam: non enim (ut verius eloquar)

----- exstat  
ingenij vis tanta mei, quâ pendere possim,  
debeo quæ forsan doctis his auribus -----

Verum



Verum enim verò, quanto magis me hac ipsa deterrent, tanto magis me invitat & instigat singularis vestra patientia & humanitas, qua mihi instar calcaris est ad progrediendum fortissimi: eam itaq; si spectro & interiori examino, eandem mihi affuturam nullus dubito, siquidem ista in audiendis meis commilitonibus, qui ante me ex hac Cathedra verba fecerunt, tanta fuit, ut illam meis verbis commendare & laudibus efferre satis non possim. Si enim impensius tanta humanitatis magnitudinem mecum reputo, vix eam animus capere potest, nedum ut sufficienter queat dilaudare. Quamvis autem cuius vestrum videri possit, satis hactenus verborum & nugarum fuisse, & presentem nostram controversiam ita discussam & ventilatam, ut illam ruminari, & paulò penitioribus oculis inspicere & examinare non sit opus; tamen si ea, qua ab antecessoribus meis modo prolata & dicta sunt, ad interiorem animi obrussam (ut verbo utar ex Bruto Ciceronis) exigantur, luce meridiana clarius evadet, non illa quidem in equilibrio stare, sed alterius partis rationes alicubi preponderare. Non igitur rem illam in suspensio relinquendam; sed aequitati potius consulendum, veriori parti & rationum pondere prevalenti subscribendum, & quid tandem lite sublatâ & discussâ sentiendum sit, amplius videndum existimo. Quid me ergò incitavit? Solanè sententia mea veritas? Nil mixus. Invitavit me & vestra humanitas, exstimulavit dignitas. Vestra benevolentia allectus campum hunc ingredior, & arbitri partes in me suscipio. Non enim aures vestras antecessorum meorum verbis adeò captas, aut fucatis argumentorum ventis repletas autumo, ut mihi non auriculam aliquam reservaveritis. Ne verò quadrigarius desultorius in hanc arenam prosiluisse videar, ea qua ab antecessoribus meis modo gesta & di-



Et sunt sub repetitionis incudem revocanda & breviter ruminanda duco. Nam, ut audivistis, inter ipsos disceptatum & controversum fuit de Silentio illo, quod Pythagoras Scholae suae commendavit, & discipulis suis toto quinquennio unice servandum & observandum praecepit. In hoc ergo statu dirimendo & enucleando jam versati, alter Pythagoram ejusque Silentium hodieque in Scholis unice imitandum & conservandum, haud contemnendis rationum fulcris statuit pertinaciterque defendit. Ideoque junioribus discendum potius & in praceptorum cognitione unice versandum putavit, omnibus alijs sepositis, sive declamationum sive disputationum exercitijs, quippe cum ex Apulej sententia primum sapientiae rudimentum sit, meditari condiscere, loquitari dediscere. Quam assertionem alter ille minus veram probatamque censens, Silentium illud exercitiorum Scholasticorum in rationis & orationis studijs consistentium usum non tollere, sed ad mediocritatem aureo quasi filo perducere contendit, idque suarum quoque rationum fundamentis haud minoribus demonstrare allaboravit. Sed utri nunc assentiendum, Auditores, aut cui subscribendum putatis? Video vos in bivio fere constitutos & ab utroque dicentium eò adductos, ut cui calculum adjiciatis, subdubitetis. Quamquam autem vobis, eruditione & judicij robore praepollentibus viris, judicium illud planum sit & obvium; tamen commilitonibus meis non adeò perspectum, nec quid faciendum agendumve compertum esse, facile conjicio. Ut ergo meam quoque mentem clarius explicem, & dicam quid res sit, ita existimo: Silentium Pythagoricum observandum quidem; sed tamen ita observandum, ut exercitia Scholastica facta tecta maneant, & per id ipsum nullo modo impediuntur.

Ut verò



Ut verò res omnis cautius à me proferri, & cum grano salis, quod dicitur, ab alijs accipi possit, antequam eam evolvere incipiam, paucula rei commodè discernenda gratiâ pramitto. Ecquæ illa? Duplices gradus, & classem discipulorum geminam constituo. Prior illorū est, qui primis artium rudimentis non imbuti, sed in earundē primordijs & exterioribus limitibus adhuc sunt constituti. Altera verò classis illorū est, qui mediocrem linguarū, artium & partiū Philosophiæ intellectū consequuti, ad interiora Philosophiæ penetrantia modesto gradu cōtendere incipiunt, eorūque progressi sunt, ut omnis generis exercitijs incumbere, in quibus illis omni studio desudare necesse habeant. Disputationum verò & declamationum, quas jure merito hic distinguo, sunt alia seris, de rebus gravissimis, subtilissimis artium & facultatum controversijs, in publico, in conspectu clarissimorum virorum habenda; alia verò leviores, exercendi saltem ingenij causâ instituta & primæ informationi accommodata, quibus nec grave nec serium quid inest, sed ad viam solummodò altioribus & gravioribus studijs sternendam & preparandam sunt comparata. Hoc igitur distinctionis clypeo, ceu Ajacis scuto, munitus prodeò alacriter, id quod dixi ostensurus acriter, Silentium nempe Pythagoricum imitandum junioribus; illis nempe qui adhuc in primis artium rudimentis harent & studiorum quasi incunabulis vagiunt: non tamē ita observandū, ut omnia illis exercitia adimantur, sed quædam ætati ac profectui convenientia concedantur, aureo mediocritatis modulo semper adhibito, ut lusum quendam. Adultioribus verò qui mediocres in artibus & linguis progressus fecerunt, prodeundum liberè, iisdemque rationem excolendam, orationem exercendam, adeoque non solum declamandum, sed & disputandum esse de rebus varijs, sub presidio doctiorum.

Adeunda



Adeunda bis interiora sacratissima Theologia myrothecia ;  
salutanda intima artium bonarum penetralia ; excutienda a-  
liorum opiniones & sententia , modestiã tamen , qua omnium  
virtutum ductrix & rector est , ubiq̃ studiosissime observata ,  
debitã erga Superiores reverentiã , erga pares observantiã  
semper adhibita . Hisce cancellis Silentium Pythagoricum  
inclusum salvum esse poterit , hisce stantibus & observatis illi  
satisfactum nemo est , qui meritò aut facile dubitare possit .  
Ista verò dum divina favente numinis clementiã ulterius pro-  
sequor , ut vestrà , quam antea mihi pollicitus sum , benevolentia  
& patientiã mihi adsitis , quantã possum animi submissione e-  
nixè & obnixè oro .

Atq̃ ut omisissis verborum ambagibus rem ipsam aggre-  
diar & Oratiuncula mea telam texere ordiar , imprimis illi ,  
qui ingenuarum artium & doctrinarum studijs flagrantes ,  
optatam & speratam solida eruditionis collem conscendere ,  
suorum studiorum cymbam optatis velis ad portum provehere  
satagunt , preceptis , primùm & ante omnia , certis firmisq̃ du-  
cantur necesse est , siquidem sine his ipsis ars nulla constare ri-  
teq̃ percipi potest . Hæc sunt fundamenta & fulcra , quibus  
splendidissima artium liberalium ædificia superstruuntur &  
sustinentur . Ducantur ergò discentes primò preceptis veris  
& immotis , usu tamen , omnium artium magistro , semper ad-  
hibito , sine quo precepta artium nihil unquam profunt va-  
lentq̃ . Nam

Frustra omnes discunt , si quæ didicisse laborant ,

Non itidem studeant usu excoluisse frequenti .

Imò , vera doctrina laus non consistit solum in preceptorum  
cognitione ; sed verã earundem applicatione & exercitatione ;  
unde is veram sapientiã viam affectare creditur , qui cum præ-  
ceptis



ceptis usum & exercitationem conjungere, & illa qua didicit  
praecepta, in succum & sanguinem convertere studet. Usus o-  
mnium artium magister, unicè artium magistros efficit:

----- naturam parturit usus  
ipsaq; non multò est natura potentior usu.

Quis unquam artificem solis praeceptis exstitisse novit? quis  
logicum proclamabit, qui praecepta quidem novit, res autem  
invenire, inventas disponere, dispositas ad rectam judicij tru-  
tinam applicare nequit? quis Oratorem vocabit, qui in pra-  
ceptis Rhetorum versatus quidem; sed tamen usu destitutus  
magis mutus est quàm piscis? quis Musicum putabit, qui  
praecepta quidem Musica cognovit, ipsa tamen applicare, &  
varios modulando motus exprimere vel etiam canere haud  
potest? quis Arithmeticum affirmabit, qui Arithmetica pra-  
cepta quidem didicit, interea vix decem numerare potest?  
Exercitatione itaq; opus est, qua quidem plus habet momenti  
ad eruditionem, quàm natura, adeò ut ex Ciceronis, maximi elo-  
quentiae Ducis & Antesignani suffragio, nec Medici, nec Impe-  
ratores, nec Oratores, quavis artis praecepta perceperint, quid-  
quàm magnà laude dignum sine usu & exercitatione consequi pos-  
sint. At, inquis: quomodo usum verum in tyronibus invenire licet?  
unde illum primarum artium studiosi habebunt? Audi quæso:  
Usum perfectum & omnibus numeris absolutum etsi nondum  
consequuntur, attamen à competenti quis prohibebit? exerci-  
tationem, quantam aetatis & ingenij captus admittet, quis de-  
negabit? Habebunt qualem illorum captus admittet; quam-  
vis usum plenum & omnibus numeris absolutum pro tempore  
nondum assequantur. Concedamus usum ipsis convenien-  
tem, concedamus exercitationem, sed tamen optimo mediocri-  
tatis sale conditam & temperatam. Ut enim modus in-

H

omni



omni re optimus, ita hic maximè attendendus & tenendus, ne  
quid parùm aut nimium fiat. Videmus Medicos optimos sa-  
nitatis custodes & conservatores in agrotis sanandis & mor-  
bis curandis hæc respicere, ut Medicamenta in justâ quantitate  
& convenienti dõses, ut vocant, propinentur: & nullus ipso-  
rum nisi extrema ruditatis imperitiq; arguendus, puero me-  
dicamentum dabit viro preparatum. Ut enim pharmaca  
pueris in majori quantitate exhibita multum nocent, corporis  
vires maximè debilitant, imò quandoq; ad extremum exitium  
mortemq; certissimam perducunt: ita quoq; exercitia supra  
vires usurpata nocent, & nisi singulari Præceptorum pruden-  
tiâ regantur, & cum cautelâ quadam adhibeantur, tyrones in  
certissimum inscitie & confusionis baratrum devolvunt atq;  
precipitant. Modus si negligatur, & si absq; hoc juniores ju-  
sto citius ad exercitia ducantur, quid aliud faciunt Præcepto-  
res, quàm quòd temeritatem in discipulis producant, quo vitio  
nihil turpius? Nec sanè (ut tua verba Oratorum maximè Ci-  
cero mea faciam) quidquam tam indignum sapientis gravita-  
te, quàm aut falsum sentire, & quod non satis exploratum  
perceptum & cognitum sine ulla dubitatione defendere.  
Quod quidem temerarij & audaculi isti facere non erubescunt,  
nam pertinacia vento inflati & elati se solos lynceos putant,  
alta supercilia gerunt, alios adunco naso fastidiunt, ista que  
neq; sunt, neq; esse possunt, propter impudentiam instigante  
insitiâ palàm dicere & asseverare non erubescunt.

Deniq; & loquacitas, que ex sententiâ Erasmi, certissi-  
mum fatuitatis argumentum est, prematurâ illâ temeritate  
& impudentiâ fovetur. Annon enim inde audaculi? annon  
graculi loquaculi existunt. Nimirum ipsi sic edocti & educti  
se albæ gallinæ filios somniant, cornicum oculos figere gestiunt;  
interim



interim ceu rana lurida è ludo prodeuntes, nil nisi vanum  
Coax sonant, & indecoro blateratu auras verberant.  
Verùm enim verò sunt ad bonarum artium studia capescen-  
da ingenia nobis data & concessa, ut ipsis utamur, non abu-  
tamur:

Usus habet laudem, crimen abusus habet.

Sunt usus & exercitatio literis literatisq; permessa, verùm ita,  
ut ipsis modicè rectè ac tempestivè utamur, non abutamur. Ut  
enim lusus pueris frequenter & sine lege aut modo concessus  
malitiam ac ferocitatem animis ipsorum imprimit: ita exer-  
citia illa, nisi convenienti moderatione temperentur, omnis ge-  
neris vitia inducunt, & in animis juniorum fovent. Tem-  
peramentum verò si observetur, aurea illa mediocritatis bilanx  
si adhibeatur, quis nisi stipes & stupidus Pythagorico Silentio  
satisfactum negabit? quis illud neglectum asseverabit? Ni-  
mirùm hisce cancellis inclusum salvum esse poterit. Hac est,  
credo, illa mediocritas, quam antecessor meus probavit & ob-  
servandam alijs proposuit.

Non igitur arceantur tyrones ab exercitijs, tanquam  
veris artium delitijs. Ducantur eò recto passu, concedantur  
ipsis modicè, sine tamen, quod imperandum ipsis, prematura  
sapientie affectatione, intempestiva scientia persuasione.  
Salvum ita Silentium Pythagoricum, salva Schola, salva res  
literaria esse poterit.

Verùm quid ago? quid de tyronibus maximè urgeo?  
cùm ipsi per se satis cessent. Pullus implumis volatum  
non affectat. Quis enim disputet? quid dicam  
disputet? qui Orationem habeat tyro adhuc sub incude  
literariâ constitutus? rationis & orationis scientijs non-  
dum elaboratus, nondum perpolitus?



Certè novellus ejusmodi, si hæc studia tractare conabitur, quid aliud aget, quàm quòd sine pennis volare, sine cortice natare præsumet? si qui autem velint, abeant, disputent, opponant, reponant, verba faciant. Depellet ipsos rudis inscitia, deturbabit inscia ruditatis, & à prematuris ceptis necessitas abstinere coget. Sed tamen neminem in minimis consistere volumus, siquidem imus & minimus semper manet, qui in imis & minimis semper heret. Conandum, assurgendum semper: neq; nos ulli honesto conatui viam claudimus. Ducantur ignari inscujq; via, & levi quadam manu ductione ad altiora sensim evebantur & attollantur. Omnibus una via, qua ad augustissimam Palladis arcem ducit, ad quam quidem præcisis aut prematuris pennis advolare & Phaëthontio ausu conscendere non licet. Semita est qua ad illam ducit sentibus & virgultibus undiq; obsita: ad illam igitur modestè & prudenter conscendere, non currere; moderatè ire, non festinare licet. Via monstranda cuivis, & monstranda à teneris unguiculis. Hæc semita est, quam ingrediantur omnes, qui vera virtutis amore incensi illam noctes diesq; ambiunt: huic insistant cuncti, qui virtutem & virtute præditos amant & ad altiora aspirant. At quando? à primis unguiculis incipiant, & per omnem etatem eant, donec perveniant, nam

----- à teneris assvescere multum est.

Et sanè consuetudo in utramq; partem multum potest. Cum claudus qui cohabitavit, claudicare discit, balbutire incipit cum balbis assiduò qui degit, sapiens evadet sapientibus sapè qui assidet, & à teneris qua didicimus, hausimus, percepimus, ea quasi in alteram naturam abeunt, ut quasi nobiscum nata videantur. Non itaq; in incunabulis artium persistant juniores; sed prodeant, mediocriter sese exerceant. Ut enim pulli in nidis suis,



suis, etsi evolare non audent, interim tamen vel implumes  
nuda brachia movent & attollunt, ad agilitatem comparan-  
dam. Idem faciant pueri. Licet enim rectum & perfe-  
ctum usum habere nequeant, tamen assurgant, se moveant, ad  
altiora tendant. Quidni? Omnium rerum infantia est.  
Fuit surculus, qui nunc arbor est, & qui nunquam assurgit,  
nunquam coronatur.

Discat itaque & maturè exercitationem amet, quicumque  
eruditi nomine aliquando insigniri in votis habet. Et quem-  
admodum infantes, qui ambulare incipiunt, scamnis applican-  
tur, ut, licet progredi non possint, stare saltem discant, solidita-  
tem nervis induant; & sicut brachijs interdum à matribus  
fulciuntur, ut pedes paulatim transferre consuescant: ita &  
hoc ipsum in Minervæ & Musarum pullis, ingenuarum artium  
filijs fiat. Erudiantur, instituantur, & mediocri gressu  
à teneris ad altiora ducantur. Addere istuc operam oportet,  
& manū movere, quod ajunt, unà cum Minerva: imò queren-  
dum, legendum, discendum. Hac viâ si progrediantur, &  
intrà fines verecundiæ, quæ ex Plauti sententiâ juvenes ma-  
ximè decet, sese contineant. Silentio Pythagorico omninò sa-  
tisfactum esse, nemo non asseverabit.

Gressum nunc facio ad adultiores, atate & artibus pro-  
vectiores. Num verò & ipsos silere, & ab exercitijs propter  
Silentium istud Pythagoricum abstinere putabimus? Non ita.  
Prodeant ipsi, disputent, Orationes habeant de rebus quibusvis.  
Ostentent ingenij acumen, de rebus optimis differendo, emit-  
tant Orationis flumen, de rebus varijs verba faciendo: pro-  
deant liberè, prodeant modestè. Præceptorum autoritatem  
magnifaciant, doctiorum præsidium haud negligant, mode-  
stiam, sine quâ nihil rectum, nihil honestum esse potest, unice



colant & respectent. Et quis queso prohibebit illos? cur non  
tendant ad celsissimam eruditionis arcem, de viâ certiores fa-  
cti? Littere & artes sunt, quæ ad augustissimum illud pala-  
tium ducunt, has illos percepisse & novisse, quis est qui dubi-  
tat? Quis Grammaticam linguæ directricem præcipuam,  
quæ

----- doctis idiomata claustris  
continet & puro dictat sermone loquelas,  
& quæ reliquarum artium velut janua, illos pervasisse nega-  
bit? Quis Rhetoricam linguæ formatricem alteram, Diva  
illius Suada matrem novisse inficiabitur? Quis Logicam ra-  
tionis artem, cæterarum omnium instrumentum, illos delibasse  
& omni studio pertractasse ambiget? Neminem esse puto,  
nisi extrema ignavia & negligentia deditum, qui hasce non  
perceperit, sed & in reliquas scientias rerum videlicet natura-  
lium considerationem, corporum cælestium contemplationem  
studiū aliquod non impenderit. Absit ut dubitem de Præcepto-  
rum & discipulorum diligentia. Neq; ego hic Præceptores  
ταῖς ἐπιπέλαις ἀπέστρεψας, quod Plutarchus ait, quod non do-  
cuerint, accusare velim. Absit à me hujus rei suspicio saltem,  
ne dicam assertio. Sua cuiq; à D E O commissa & demanda-  
ta est statio, hujus quisq; paratam expeditamq; benedictionem  
habet, in eâ quisq; efflagitante conscientia suam fidem, curam,  
sedulitatem, integritatem, pro officij ratione præstare debet.  
Præceptores tuo, maximè Quintiliane, suffragio alteri pa-  
rentes. An corporis dicam? Non corporis, sed præstantio-  
ris partis animi nempe. Qualis igitur erit parens, nisi o-  
mni honestati & pietati nunciū remisit, omnem φιλοσοφίαν  
ex animo excusserit & exterminaverit, qui filio suo non bene  
cupiat illumq; promovendum velit? Nam, ut est apud Senecam,  
sagax



Sagax parentum cura est. -----

Quidni ergo Praeceptores alteri parentes faciant? Certè nullum est dubium, quin sui officij memores Sparta sua omni studio invigilaturi sint. Si itaq; Praeceptores, quippe quibus sola nostra informationis & eruditionis cura incumbit, in docendo alacres, diligentes, seduli: cur nos in discendo, obtemperando levi, inertes, pigri? Si illi qui in tradendis artibus occupati, non perfunctorie, sed omni studio id faciunt: quid nobis, qui ingenuarum artium & Musarum filij audimus, faciendum statuamus? Sed nullus ambigo quin utraq; pars suum fecerit officium: Utrosq; credo diligentes, sedulos, & in artibus & docendis & discendis alacres & attentos fuisse. Si quis verò se artes liberales non percepisse queratur, quales vos dicam Praeceptores? an Praeceptores dicam? Non sanè Praeceptores, sed juventutis deceptores & corruptores. Quales vos dicam discipulos? an bonos? an sedulos? an studiosos? Bonos & studiosos minimè vocabo; sed bardos, ineptos, plumbeos, & Libethrijs inelegantiores. Quousq; enim differetis bonarum artium studia? an in seram usq; aetatem?

O Corydon Corydon quæ te dementia cepit!

Fallis & falleris ipse, qui studia tua differre, & in virilem usque aetatem prorogare non erubescis. Audi blandam matrem Sapientiam, ex arce sua altà voce clamantem; observa diam Σοφίαν suis te illecebris ad verum decus trabentem & hisce verbis allicientem: Venite huc omnes, properate ad me, quicumque laude prestare & excellere pulchrum putatis; tendite ad me, quicumq; casto Musarum filiarum mearum amore flagratis. Has ego vobis quicumq; cupitis,

Connubio



Connubio jungam stabili propriasq; dicabo.  
Vobis, optimi filij, divini Numinis adjutu intimos pietatis recessus aperiam, & quicquid in vitâ laudabile & expetendum donabo vosq; unice docebo. O divinam & egregiam vocem! Audite, advertite mentis vestra aures, optimi juvenes! Nulla ad bonam frugem sera etas: ita nec ad bona studia. Discite dum adhuc mentis vires integra, membra vegeta.

----- properat cursu  
vita citato, volueriq; die  
rota præcipitis vertitur anni.

Nimis sera & odiosa vox:

O mihi præteritos referat si Juppiter annos!

Vetera serò querimur. Tempore utendum, præsens impendendum, futurum ponderandum, præteriti, cuius nulla reversio, obliviscendum. Si itaq; adultiores partes Philosophiæ perceperunt, artes ingenuas didicerunt, cur non eas ad usum transferant, & in iisdem sese exerceant? Imò exerceant. Nam ut ager neglectus arefcit, vianij & Zizanijs obducitur: sic studia nisi sedulo tractentur & exerceantur torpescunt & hebescunt. Exercitijs neglectis, studia ipsa negliguntur, exercitijs sublatis, studia ipsa tolluntur, quia ipsa ceu animæ studiorum sunt. Ament hæc quicunq; studia amant, magnificiant, quicunq; inter optimos viros aliquando numerari appetunt. AÛt ductore & præmonstratore hic maximè opus erit: nam qui suo Marte & proprijs conatibus huc iter facient, parùm proficient, & si qui tentent, Sisyphi saxum volvendum suscipient. Manuductione & institutione opus est, præsidio & ductu Præceptorum res suscipienda est. Ut enim saluberriam plantule ac frutices non in quovis solo & suâ sponte nascuntur, sed sedulitate hortulani propagantur ac producuntur:



cuntur: sic & studia imis latebris repta, non nisi Præceptorum curâ & diligenti cultione eruuntur & excoluntur. Hos ductores sequimini, optimi adolescentes, qui studijs & artibus non imbutum esse turpe ducitis, *Ὀλαυτία*, quâ pestis nusquam immedicabilior quàm in dogmatibus, ut magni illius Erasmi verbis utar, cane pejus & angue fugite, modestiam, quæ solos magnos facit, quanto potestis studio colite, debitam reverentiam superioribus, parem benevolentiam paribus exhibete. Sic artes celeri progressu addiscetis, bonorum favorem & amorem fausto aliquo sidere ad vos inclinantem videbitis, æternum & immortale decus auferetis.

Verùm enim verò, quòd hisce exercitijs certum tempus certasq; metas constituamus, nihil est. Qui enim terminos illos jam attigerunt, destinatum à Pythagorâ quinquennium servarunt, licet non quinquennium. Nimirum studiorum suorum cymbulam eò advexerunt, ut ex innumeris & intricatis errorum *Charybdibus* in altum progressi, portum, si nondum attigerint, ut saltem conspexerint. Cur igitur in cursu non pergant, & velis remisq; ad portum illum contendant? Cur, inquam, non prodeant? Cathedram conscendant? verba ex eadem faciant? liberè cum alijs de rebus varijs conferant? Et quis emunctioris naris & judicij vetabit exercitia? quis vero juvenis nisi extremè rudis & nudus ingenio suo tantillum non fidet, ut exercitationes suæ ætati ac profectui convenientes horreat? quis tam iners & socordia totus deditus, qui commendatas exercitationes differendi dicendiq; aversetur? Credo ego te, magne Pythagora, adultiores illos & sapientia studijs initiatos à Scholâ tua nunquam exterminasse, nec ab exercitijs abegisse, aut si loquuti fuerint culpasse. Ego enim meo puncto illos *Silentium Pythagoricum* probè servasse arbi-



tror, qui jam studiorum suorum altum mare attigerunt; artes illas, quas dicendi vocant, addidicerunt; linguas, quae artium quasi vehicula, mediocri studio cognoverunt. Quis vos, Optimi Juvenes, qui in studijs eò progressi, non putet credulos? quis non dicet obedientes? quis non sat affirmabit patientes? Fuiſtis certè, non meo, sed veſtrorū præceptorum ſuffragio. Fuiſtis ſat patientes, ſat obedientes, ſat creduli: ſed tamen & eritis ampliùs. Quidni autem hæcenus patientes? Præceptores veſtros plus quinquennio optimâ fide audiſtis, modèſtè vos geſiſtis, linguis & artibus omne ſtudium impendiſtis. Annon Grammaticas præceptiones didiciſtis? didiciſtis: annon Rhetorices regulas cognoviſtis? cognoviſtis: annon Logica divina virgula & aurci iſtius caducei rectitudinem perſpexiſtis? annon & reliquis artibus & ſcientijs, rerum naturalium perſcrutationi, corporum cœleſtium contemplationi, morum rectè informandorum ſcientia ſtudium adhibuiſtis? adhibuiſtis. Prodiſte itaq; optimi Muſarum filij, vos omni ſtudio debitàq; modèſtiâ liberè exercete. Clament, reclamant alij, vos liberè, inquam, aſſurgite, Cathedram conſcendite, verba facite, de rebus varijs inter vos conferte. Vult ita omnium doctorem ſuffragium, poſtulat ratio, ſtudia veſtra efflagitant. Non terreat vos frivolorum quorundam minus rectum iudicium, nec retrahat Silentium Pythagoricum, quod quidam inſtempeſtivè, ſed fruſtrâ obtendunt: Ego verò ea, quâ dixi, ratione, ſartum tectumq; ſervari & retineri poſſe, demonſtravi.

Rivulos jam clauderem & dicendi finem facerem: ſed tacito murmure adverſarium & Antagoniſtam mihi ſic obſtrepentem mens præſagit: Quis tu? quid proferſ? Silentium imperas, & tamen non ſolum adultioribus ſed & junioribus  
in exte-



in exterioribus artium finibus consistentibus, dicendi facultatem concedis. An Silentium Pythagoricum te adprobasse ac dilaudasse putas, cum aequè & junioribus & adultioribus exercitia demandes, utq; illis sedulo incumbant, suadeas? an sic promissis te stetisse autumas? an rebus tuis satisfactum putas, cum tibi initio Silentium illud probari dixeris? Verùm debile habet hoc telum ferrum, nec isto

----- cadit de vulnere sanguis.

Non deest mihi quod regeram. Audiat mea verba Antagonista, sensum percipiat, & quis verborum meorum scopus, probe attendat. An Silentium Pythagoricum crasso illo sensu & simpliciter adprobavi? Non sic: non simpliciter, ut ipse, adprobavi; sed tantum personarum respectu adbibito laudavi. Non dixi de omnibus, non de singulis. Adprobavi Silentium, sed quale? Non Silentium abstinentiae, non negligentiae, ex Pythagora mente non intellecta profectum, ipsiusque discipulis, quos referente Gellio ἀκασινὸς vocabat, vulgi sententiā imperatum; sed laudavi Silentium diligentiae, commendavi Silentium credulitatis, approbavi Silentium modestiae. At esto: Concessi. Non tamen οὐσὼ-  
ωσέγγς οὐάϞη discipulos esse volui, nec ab omnibus exercitijs, ut ipse parum dextrè, abstinere iussi. Et si concessi quid me oppugnat amplius? quid obstrepentium verborum jaculis pungit? Nihil est, quicquid opponit & obstrepat.

Quare observate, optimi adolescentes, Silentium illud Pythagoricum cā verecundiā quā vos decet, quamq; omnium eruditorum iudicijs comprobari videtis. Majores verò



in eo studio versamini & nihilominus exercitijs illis, quantum id convenit etati ac profectui vestro, quantum doctissimorum hominum suffragijs cupitum videtis, incumbite & operam date. Causa verò ejusmodi hac, quia exercitiorum illorum usus clarissimorum virorum autoritate, doctissimorum testimonijs, omnium candidè sentientium judicijs comprobetur. Silentium Pythagoricum observate, interim exercitationes utilissimas haud seponite aut negligite. Proдите, temperato cursu ad altiora tendite, prasidium Praceptorum & doctissimorum virorum appetite, artes & partes Philosophiae debita cum modestiâ exercete, & hâc viâ ad aureum illud eruditionis vellus reportandum & consequendum vos preparate & accingite.

Eosdem verò vos hortor moneoq̃, ne quid ampliùs habeat quod frivola ista vitiligatorum & adversariorum turba pretendat, ut eos, qui vos, qui vestra studia, qui res vestras promovent, qui vobis & vestris parentibus aeternum decus se addituros profitentur, quiq̃ ob omnibus sapientibus instar parentum honorati habitiq̃ sunt, honore afficiatis, morem ipsis geratis, fidem habeatis. Non modò ad quinquennium; sed ad sexennium, ad septennium, imò ad decennium & ultrà, si vestri studij ratio ita postulet, illos audiatis & observetis: ut sic optimi Praeceptores fide & diligentia vestrà potiùs allecti, quàm negligentia & ingratitude deterriti & impediti videantur. Nos verò quantum in nobis erit libenter ista prestabimus, Praceptorum ductum sequemur, Silentium Pythagoricum observabimus, exercitia optima & utilissima haud negligemus, sed pro nostrâ virili, debita cum modestiâ, superiorum reverentiâ, parium observantiâ tractabimus & amplexabimur.

Qua



Qua verò, Auditores Clariss., pro salvandis nostris exercitijs deq; Silentio isto Pythagorico, pro nostri ingenij tenuitate breviter simpliciterq; diximus, & quantum valuimus levi filo & stilo delineavimus, ea vobis omnibus probata esse confidimus & speramus.

D I X I !

Laus est, tota loquacitate recta  
Effreni subito ferire posse?  
Vos dicti mihi *hirundines loquaces*.  
Laus est, gutture continere voces  
Obtuso, auribus aut negare doctis?  
Fas est  $\kappa\omega\phi\alpha\ \omega\epsilon\gamma\sigma\omega\pi\alpha$  vos vocare.  
Sed quid talibus obvenire dicam?  
Illos Tantaleas subire pœnas:  
Hos cum *pisciculis* aquis necesse est  
Mersos esse: nec altiùs natare.

Tu verò Samij viam secutus,  
BLÆSINGI, mediam cupis repulso  
E Scholæ Cathedrâ, è foro, atq; templo  
Et *pisces*; & *hirundines loquaces*.  
Has inter medius viam catervas  
Cœptam curre, recurre, perge deinceps:  
Sic te gloria, sic honos manebit.

Adponebat

JOHANNES MYLIUS  
Northufanus.

I 3

Sunt



**S**unt homines, Martis sævi qui castra sequuntur;  
Sunt qui pertractant sutoria fœtida; sunt qui  
Per mare pauperiem fugiunt, per saxa, per ignes:  
Pro re quisq; suâ laudem sortitur: at illum,  
Qui colit ingenuâ Musas & Pallada mente  
Gloria, laus & honor certè sine fine sequentur.  
Ergò, **BLÆSINGI**, mentem demittere in artes  
Aonias propera, conscendere perge Cathédram:  
Sic poteris servire **DEO**, patriæq; tibiq;  
Gloria, laus & honor sic te, sine fine, sequentur.

F.

**JACOBUS Lemblen Verdenfis**  
Saxo.

**E**Rgò, **BLÆSINGI**, vis alta silentia tolli,  
Et medias inter currere nempè vias?  
Rectè: sic **EXEST PISCIS**, sic garrula turba.  
Inter utraq; vias pergito, tutus eris!

F.

**HIERONYMUS STOLLIVS**  
Gotting. Saxo.



PERO-



Σὺν Θεῷ καὶ πατρὶ.

## PERORATIO.

M. GEORG. ANDREÆ FABRICI POETÆ  
L. CÆS. GYMNASIARCHÆ.

**C**laudite jam rivos, JUVENES. sat prava biberunt.  
Et jam tempus erit, stomachi prævertere bilem,  
quam mora, quamq̃, fames, Plauto dicente, severum  
concitat in nasum. Venter caret auribus. baurit,  
non quid voce sones; sed quid cum lance propines.  
hoc optat: non aure capit, capit ore, quod aptum est.

Nec tamen hunc fas est citius dissolvere catum,  
quàm festo suus omnis honor, sua gratia constet.

Nec verò hoc iterum ex imo fundamine tectum  
excito, nec duco summa ad fastigia ludum:  
non arcam lustrò, aut latum deduco per orbem:  
nec quid conclusum fuerit, quidvè, æquore pulso,  
exclusum. non nunc iterum ista; peregimus annò.

Hoc ago quod grati est, & quod DEUS ipse requirit.

GRATI animi res est veterum bene-facta referre,  
& memori cultu laudes renovare vetustas.

Et quid dicemus meruisse hoc nomine Patres,  
his qui jecerunt olim fundamina tectis,

& qui fecerunt heic ergasterion ipsi  
SPIRITUI Sancto, doctrinam efformare juventam,  
inq̃, DEI laudem sacras educere mentes?

Non cœlum meruere quidem. nam CHRISTUS JESUS  
hoc meruit toti, nullo discrimine, mundo.

Sed meruere tamen, nos ut dicamus in actu

judicij



judicij extremo, quod Centurionis honori  
dicunt Judaei CHRISTO: Dilexit hic ipse  
gentem vir nostram, Synagogam è marmore nobis  
exstruxit. Sic nos: Hi sunt, bone CHRISTE, ministris  
qui nobis favere tuis, qui tecta Lyceo  
aptarunt quondam, Tibi quaeis gens docta per oras  
usq; Mülhufinas nata est, ex ordine longo.

Vos Benefactores omnes, qui nomine tanto  
gaudetis, laudem quicq; adfectatis eandem,  
scitote & vestris fore quondam encomia factis:  
assurgent aliqui, CHRISTO qui talia dicent:  
HIC CONSUL nobis favit, studijsq; Lyceum  
constituit vovitq; bonis; ornavit & auxit:  
iuit promotum doctos; stipendia fecit  
congrua demenso, pro justo aequove, labori:  
de stipe sollicitos hic noluit esse Magistros:  
annonam expendens annosq; salaria nobis  
auxit, & ad priscum revocavit iniquius avum,  
quo duplo triplove ferè res qualibet emptæ est.  
HIC CENSOR; sed & ille bonus super astra SENATOR  
alta vobi dignus, nobis dedit esse Lyceum  
amplius & nostrum promovit, & esse minerval  
auctius effecit, ludiq; extendit honorem.  
Fortuitam buscas Cererem pro more rogantes  
hic etiam largis & pane & carne cibavit.  
Hic molli fecit pubem decumbere lecto,  
cum scamnum premeret, vel crispum è stramine culmum.  
Hic solitus nudos vestire è paupere turbâ,  
calceolis munire pedes frigentis alumni.

Vos



Vos Benefactores, inquam, gaudebitis omnes  
laudibus his; & vos CHRISTUS retributor, ad illa,  
qua sunt de vobis cantata ad grande tribunal,  
attollet, facietq; faces vos esse micantes  
in caelis: vobisq; aderit jam gloria merces:  
merces justorum; sed non, quod Roma profatur,  
justificandorum, quâ res caelestis ematur.

Interea terris laus haec, laus ampla manebit,  
quod Magni, & magnum clarescet nomen in aevum.  
AUGUSTUS Caesar Roma quod Apollinis aedem  
construxit, sumptuq; ingenti porticum ibidem  
fecit, constaret quâ Bibliotheca Latinis  
& Graecis conferta libris: hoc illius olim  
& jam nunc cedit laudi. Quid Apollinis aedem?  
quid tectum antiquum tineisq; exesa librorum  
plaustra admiraris? nobis Augustus in urbe est,  
aut fuit. Hic CHRISTI, non struxit Apollinis aedem.  
Est CHRISTI domus haec, est magni haec arca Noabi.  
Librorum viva haec sunt exemplaria; libri  
liberi & innumeri, quorum gaudere parentes  
progressu poterunt: poterit gaudere per urbem  
publica res, totum vel gens Christiana per Orbem.  
Laus Mecœnati prisco servatur ab aeo  
quod bonus, inq; bonos bona plurima contulit, artes  
fovit & egregiam coluit bonus arte Poetas.  
Et Mecœnates nobis paulò ante fuere,  
qui studijs favere bonis, statuere Lyceum:  
qui doctos coluere viros, stipendia docto,  
congrua temporibus illis, fecere labori.  
Haec illos laus ampla manet, neq; nomina clara

K

deficient



deficient posthac. Mecænas maxima fecit:  
illi vel majus, si tempora componamus,  
siq; facultates. Quicquid sit, nomen habebunt  
& Mecænatum, ut si quando vocabitur ille  
Mecænas Romanus, homo qui hoc audiat, ipse  
commutet mentem, priscum nec cogitet illum;  
sed nostrum, nobis qui olim benefecit, & auxit  
Museum decus & doctis bene favit alumnis;  
aut nunc exornat vel promovet ære Lyceum.

O vos, ô sancti Manes! (non invoco, nostros  
ut vos nunc ludos, aut docta Lycea juvetis;  
sed memor, ut vestras renovem pro tempore laudes:)  
æterno vobis statuunt ex ære nepotes  
signa, vel æternas bene-grati pectoris aras.  
Vestra etenim pia cura fuit, prodesse nepotum  
his studijs. nam quòd tectum nos contegit istud,  
vestrum opus est, vestro discunt nunc ære nepotes.  
Illi etiam CHRISTO referent & vestra loquentur  
facta, vel æternis post compensanda triumphis.

Interea haut veniet tantis oblivio rebus:  
Fama loquetur anus vestratia facta: sepultos  
ut vos terra tegat; non & teget illa sepulchrum  
facta, nec ex animis abolebit & ore vetustas.  
Credo, nec Cathedrâ qui quondam hæc stabit eadem  
aut Tacita aut Muta, mutatâ mente, litabit:  
sed potius gratum & memorem præstabit in illo  
se vobis, facietq; suo quò carmine laudes  
longius emanent veniantq; ad secula multa,  
Natorum ad Natos & qui nascentur ab ipsis.

Vos



VOS RELIQUI, quos ipse DEUS nunc collocat istis  
sedibus, ut procerum sitis imitamen Avorum  
& Nutritores nostri: Vos ista priorum  
exempla intuiti, post vestro exempla nepoti  
hac praebeate eadem: de vobis talia dicat  
verba Redemptori CHRISTO, quae adduximus ante.  
Nobis Augusti sitis; augere piorum est,  
quae Pietas vult aucta. Suum fecere Priores,  
temporibus quae sunt illis & moribus apta.  
Tempora mutantur, res & mutantur in illis.  
Ergo opus est Virtute novâ. fundamina jacta  
sunt olim: Pietas nunc postulat, altior illis  
adsurgat moles culmenque adflectet olympo.  
En! ingens molimur opus, Dominoque JEHOVÆ  
exstruimus templum. Quos scammis cernitis istis  
inclinare trabes, summi fastigia templi  
complebunt, aut tigna, aut fulcra, aut forte columnas  
omine constituent fausto. Vos ista juvare,  
Conscripti Patres, æquum est. Operosa videtis  
quam moles fiet ista, & quanti plena laboris.  
Ergo humeris etiam nostris supponite robur.  
Et si Majores è saxis condere Ludum  
heic voluere sibi, vos illum ex marmore puro,  
ex ebove; ex aurove, ex argentove parate  
amplius, & CHRISTI in laudes attollite in auras,  
Sint Mæcenates, non deerunt forte Marones,  
qui vestras poterunt laudes extendere in ævum:  
qui si non aliud, poterunt saltem ista referre,  
quod studijs stadium ritè extendistis, ut amplis  
curreret in spatijs Gymnastes, nobile nil non



tentaret, faceretq; bonum, quod publica vellent  
jura rei possetq; piam stabilire juventam.

Desino. jamq; DEO fas est, nos dicere grates;  
& reliquum exorare bonum quod habere necesse est.

SANCTE DEUS, Sionis apex celsissime, CHRISTE  
Patris Imago, Homo-Dive, Tibi profundius imis  
ex animis grates, quod munus nobile verbi  
non fermentati; sed puri, ut ab indole primâ  
venit Apostolici sincero dogmatis orsu,  
Sancti ope LUTHERI nobis, in sine caduci  
orbis, fecisti pleno illucescere vultu:  
& replevisti templorum limina, ludi  
agmina, privati tectumq; & limina civis;  
quodq; pios semper coetus consurgere sancti  
Alores voluisti etiam, visq; amplius esse.

TE suspiramus, Dux & Servator amande  
humani generis, pergas quod in agmine nostro  
capisti & templis & ludo operarier ipso.

O DOMINE, advenit vesper, cur longius ibis?  
Nobiscum consiste; mane nobiscum: ut opacam  
lux tua divino collustret ab aethere noctem.

CÆSARA tu irradia nostrum, quò pace serenet  
Germana ditionis agros; belliq; fugatis  
nubibus, adsiduus sub ficu & vite quiescat  
quisq; suâ, proprij recolatq; novalia fundi.  
Milite semoto, nostras Honor amplius oras  
incolat & Bonitas Fidei ferat obviam gressus:  
dulcia concordie figat Themis oscula Paci:  
Terra Fidem colat, & terras Astræa benigno  
sospitet adspectu: dives bona Copia celo

appluat



appluat & latis cobonestet frugibus agros.

**JUSTICIA** ante **DEUM** pulchro consistat amictu,

visitet & terras albis veneranda quadrigis.

Et, pie **CHRISTE**, tuo auspicio, defensio nostri

à nobis cui sponte data est, compluribus annis

**ENSIFERUM** fac habere **DUCEM**, quæ Saxonas illos

Nosq; unà exbilaret Pacem: ceu Pacifer ille

hactenus & turbis prudens Spectator in illis

ritè fuit, non adversis spectatus in armis,

civica quæ passim, sine mente, accepit Enyo.

Et nostrum, mi **CHRISTE**, juva, rege, flecte **SENATUM**,

Temporum stabilire decus, stabilire Lycei:

privatas bene quasq; domos & civica jura

in laudem servare tuam. Da temporis omne

momentum studioq; animis expendere totis:

**PRÆTERITUM** ut cupiat, si sit medicabile forsan,

corrigere: at **PRÆSENS** regere; & bene nosse **FUTURUM**.

Sic vivant nobis, qui vivunt, pluribus annis:

sic præsent, faciantq; tuo quod cedat honori!

At humeris devolve etiam, **REX** optime, nostris,

quod grave nunc incumbit onus, ne tota labascat

publica res superetq; ingens à milite damnum.

Non armis opus est, ubi spirant omnia pacem.

Hanc suspiramus speq; expectamus avarà:

**CÆSARA** nos nostrum colimus, veneramur inermes.

Hoc unum, quando hæc nostri jam festa Lycei

precipiunt, pie **CHRISTE**, addo: fac prospera ludi

amplius hæc facies constet: quiæ explicet ille

amplius hunc florem, quo rectè, atq; addito, rectè

hi juvenes, imò majores atq; minores

ad metam



ad metam studiorum agiles demittere cursus  
possint, inq̄ tuas maturè accrescere laudes.  
Ut velut ex arcâ Noë mundi integer orbis  
succrevit vacuusq; suos repetivit alumnos:  
sic devastatus cunctis propè partibus idem,  
Templa, Lycea Viris & Marte & Morte malignâ,  
Gymnasij hac capiant ex arcâ semina, fructu  
multiplici in laudes post emergura J E H O V A.

HÆC, miCHRISTE, tuo depono in nomine vota,  
vota, Pater quæis ille tuus, te supplice solo  
& mediante, pio, sic quæsumus, annuat ore!

D I X I !

DEO SOLI LAUS, HONOR  
ET GLORIA!







L. DOMITIUS BRUSONIUS  
*Facetiarum & exemplorum*  
*lib. 6. tit. 6.*

**P**YTHAGORAS eum, qui idoneus ad disciplinam erat inventus, recipi jubebat, silentio indicto. Silentium verò imponebatur pro aestimato captu solertiae. Is autem qui tacebat, quæ dicebantur ab alijs, audiebat: neque percontari si parùm intellexerat, neque quæ audierat fas erat commentari. Sed non minus biennio quisquam tacuit. Ex GELLIO. SENECA in Epist. ad Luc. ait, Silentium fuisse quinquennale. Idem dicebat: **AUT TACENDUM, AUT SILENTIO MELIORA DICENDUM.**









**Et** dominus **et** dominus **et** dominus  
domine **et** dominus **et** dominus  
domine **et** dominus **et** dominus  
domine **et** dominus **et** dominus

domine **et** dominus **et** dominus  
domine **et** dominus **et** dominus  
domine **et** dominus **et** dominus  
domine **et** dominus **et** dominus

domine **et** dominus **et** dominus  
domine **et** dominus **et** dominus  
domine **et** dominus **et** dominus  
domine **et** dominus **et** dominus

domine **et** dominus **et** dominus  
domine **et** dominus **et** dominus  
domine **et** dominus **et** dominus  
domine **et** dominus **et** dominus



PISCIS  
 SILE  
 PYTHAGO  
 LASTICA DI  
 DISPUTATIONI  
 IN GYMN  
 Cùm Fundationi  
 memoria,  
 DISSERTA  
 DISCU  
 DIRI  
 M. GEORG.  
 POETA L.  
 Typis excusum

